

Hienrich Tafel.

22. Oct. 1901.

2876

DISPUTATIONES

IN


CLASSE PRIMA

STEPHANEI

AB APRILI MDCCXCIII AD APRIL. MDCCXCIV

HABITÆ.

COLLECTIO SECUNDA.



HALBERSTADII

TYPIS DÖLLIANIS, MDCCXCIII.

DISPUTATIONES

IN

CLASSE PRIMA

STEPHANEI

ANNO MDCCLXXIII AD AERUM MDCCXCVI

HABITAE

COLLECTIO SECUNDA

HALBERTADII

THOMAS DÜLLIUS MDCCXCVI

DISPUTATIO I.
DE
INSTITUTIONE ACADEMIAE
REVERENDAE
SACRAE THEOLOGICAE
UNIVERSITATIS
ALMAE MATRIS
SACRAE THEOLOGICAE
UNIVERSITATIS
ALMAE MATRIS
INSTITUTIONE ACADEMIAE
SEMESTRE AESTIVUM.

MDCCXCIII.

SEMESTRE ABSTIVUM.

MDCXCIII

DISPUTATIO I.

D. XIII APR. MDCCXCIII

H A B E N D A.

Resp. RÖMER Opp. HEINEKE. FAHRENHOLZ.

Institutionem juventutis publicam, privatae esse anteferendam.

Th. I. Omnis cultura totius generis humani ex institutione fere sola pendet, quod aliter quidem fieri non potest.

Th. II. Sed haec institutio et aetati, et temporibus, et hominibus, horumque naturae et ingenio apta esse debet.

Th. III. Jure autem quaeritur, num institutio juventutis privata an publica praeferenda sit? Quod his in thesibus breviter exponam, et quantum haec sit praeferenda, facile apparebit.

Th. IV. Institutio publica est ea, quae sumtu communem in usum collato sustinetur, et ubi plures plerumque juvenes ad ea discenda conveniunt, quae plures praeceptores docent; institutio privata autem, si unus aut perpauci ab uno fere docentur praeceptore.

Th. V. Jam quantum civitatis intersit hujus generis institutis abundare, ne quis civium rudis maneat aut incultus, haud obscurum est: non minor autem ad singulos inde redit utilitas, quae nullo labore privato satis potest compensari.

Th. VI. Quis enim primum tanta et tam multa in se uno conjungit, quanta plures homines complectuntur? Invenes, ut opinor, fere neminem.

Th. VII. Eam ob causam juvenes in institutione publica plurium rerum sibi comparare possunt cognitionem, et varietate lectionum ad discendum incitantur; cum e contrario illi, qui privatim instituuntur, his fere carere soleant.

Th. VIII. Sed in hoc etiam institutio publica principatum tenet, quod juvenes et numero ipso condiscipulorum, et exemplo maxime diligentium excitantur ad studium discendi, quod in institutione privata minus fieri potest.

Th. IX. Juvenes tandem consuetudine condiscipulorum vitae communi adsuefiunt, mores exoliunt, exhilarantur, cumque ingenii excolendi et litterarum causa conveniant, ingenium et litteras rebus externis praeferre discunt: quod in institutione privata minus perficitur.

Th. X. Quae omnia satis mihi probare videntur, principatum institutioni publicae plane esse concedendum.

DISPUTATIO II.

D. XXVII. (I. XX.) APR. MDCCXCIII
H A B E N D A.

Resp. ZIEMANN. Opp. LENTZ. FRANTZ.

De variis coloniariis generibus, earumque condendarum legibus.

Th. I. Colonos dicimus novos incolas, qui in aliquam terram mittuntur; eorumque in unum agrum collectam multitudinem, coloniam.

Th. II. Tria autem, sive Veterum Recentiorumque exempla, sive rem ipsam spectemus, illarum genera fingi possunt.

Th. III. Alii enim extrinsecus in nostram terram invitantur; alii in civitate ipsa ex uno loco in alterum transferuntur; alii denique ex nostris regionibus in terras peregrinas mittuntur.

Th. IV. A. Quod ad primum genus pertinet, qui praemiis illecti patriam relinquunt et in alienos fines transeunt, plerique segnes, imperiti, obaerati, inconstantes, rerum novarum cupidi, molesti suis aut ab illis expulsi sunt.

Th. V. Iidem igitur, laboris facile pertaesi, praemiis et beneficiis primis absumentis, aut sua vendere et aliud domicilium quaerere solent; aut rapto vivunt, vicinis molesti, et alios exemplo pravisque sententiis corrumpunt.

Th. VI. In hoc igitur genere prospiciendum: 1) ut in civitate, incolis jam abundante, ne nimis augeantur; 2) ut probi tantum et industrii homines, artibus bonis reipublicae utiles et ne-

cessarii, invitentur et admittantur; 3) ut damna reipublicae, bellis aliisque calamitatibus illata, tanto celerius resarciantur. Has leges *Friedericus II.* in coloniis apud nos condendis secutus est.

Th. VII. (B) Alterum genus existit, ubi terrae alicujus partes aliae incolis abundant, aliae incultae et inhabitatae sunt; haecque ipsae, (ut nuper in arenis *Luneburgensibus* tentatum est,) civibus ad colendum assignantur. Quod non solum in magnis regionibus, sed in singulis etiam pagis fieri potest; quando autem, et cur, et quomodo debeat fieri, res ipsa declarat.

Th. VIII. Atque hoc coloniarum genus utile imprimis et commendandum videtur. Indigentium enim et segnium incolarum numerum minuit; gratos reddit eos, qui beneficium acceperunt; reliquos ad aemulationem incitat; et internas reipublicae vires adauget.

Th. IX. (C) Tertium genus denique coloniae efficiunt illae, cum pars civium in exterarum regionem deducitur; cujus generis, et antiquitus apud *Graecos et Romanos*, et nostris temporibus inter *Anglos, Batavos, Hispanos, Lusitanos, Gallos* multa exempla occurrunt.

Th. X. Harum deductae aliae ad civitatem nimia incolarum copia evacuandam, aliae ad fines imperii propagandos, novisque aut remotis subditis quasi custodes imponendos, aut ad occupandas et colendas regiones desertas et inhabitatas, aut denique ad captivos et maleficos deportandos valent.

Th. XI. Primum necessitatis saepe fuit, alterum fortitudinis et prudentiae, tertium alacritatis, quartum denique sapientiae et humanitatis. In omnibus modo videndum, ne, civium curam agendo, aliis sua eripiamus; utque, ampliorem illis campum aperiendo, in quo exerceri possint, terrae universae simul et humani generis culturam perficiamus.

DISPUTATIO III.
D. I. MAJ. (I. XXVII. APR.) MDCCXCIII
H A B E N D A.

Resp. HEINEKE. Opp. KÖPPEN. BROCKMEYER.

Dialecticam
ceteris Philosophiae partibus esse praemittendam.

Th. I. Omnibus in doctrinis certum sequamur ordinem necesse est: quod nisi fit, perfectam cognitionem aut numquam aut sero acquirimus. Sed quanto rectius unum ex altero sequitur, tanto celerius perfectiusque cognitionem veri nobis comparamus.

Th. II. At nusquam illud fere magis, quam in Philosophia fieri debet. Haec enim ea continet, quae omnibus utilia et necessaria sunt, et ad vitam humanam proxime pertinent, quorum cognitionem ut adipiscamur, rectissima brevissimisque via contendendum est.

Th. III. In omni autem Philosophia nihil prius mihi videtur Dialectica, reliquis omnibus illius partibus praemittenda.

Th. IV. Dialectica enim s. Logica omnes non solum Philosophiae partes, sed omnes omnino, cujuscunque generis sunt, si quis illas recte et utiliter tractare cupit, disciplinae et doctrinae nituntur.

Th. V. Nam Dialectica primum Rationis, qua in omni disciplinarum genere utimur, naturam et munera explicat, i. e. quomodo et unde colligamus notiones singulas, et qua ratione sive iudicia sive ratiocinia ex iis componamus.

Th. VI. Deinde Veri Falsique naturam exponit: in omni autem doctrina hoc nobis propositum et est et esse debet, ut Verum cognoscamus et Errorem fugiamus.

Th. VII. Tum vero Ordinem ostendit, cuius disciplinae necessarium, et quomodo singula, ad complexum illius pertinentia, ita disponenda sint, ut omnia, suo loco posita, facillime intelligantur et posteriora semper prioribus illustrentur.

Th. VIII. Verborum eadem porro usum docet, quibus ea, quae sensu percepimus et animo, ita etiam comprehendamus et efferamus, ut animi nostri sententia pure et plene in aliorum animum transeat.

Th. IX. Hisce omnibus rebus, clare perspicueque exponendis, efficit, ut nosmet ipsos cognoscamus, viresque nostras ponderare discamus; deinde ingenium nostrum iudiciumque ita excolit, ut ad disciplinam quamvis perspicendam utiliusque tractandam nos praeparet; denique legem quandam et normam omnium reliquarum disciplinarum in se continet.

Th. X. Quamobrem ut Horatii, Viduae, Boilaei, Popii Artes poëticae Carmina sunt, quae artem carminum conficiendorum docent, ita haec una disciplina omnium reliquarum rationem et formam complectitur, et recte Scientia Scientiarum, ut a multis dicta est, dici potest.

Th. XI. Nihil dico de voluptate, quae ex omnibus artibus litterisque tanto major pleniorque percipitur, quanto clarius omnia in illis pertractandis intelligimus, quanto certiores sumus faciliusque ab erroribus nobis cavemus, quanto strictiori denique ordini adsuevimus.

Th. XII. Ex his omnibus illud denique mihi quam clarissime videtur patere, hanc scientiam adolescentibus, quam primum fieri potest, tradendam, inprimis autem reliquis omnibus Philosophiae partibus jure praemittendam.

DISPUTATIO IV.

D. IV. MAJ. MDCCXCIII

HABENDA.

Resp. FAHRENHOLZ.

Opp. HEYER. I. BÜHRING. NETTMANN.

De utilitate exercituum perpetuorum.

- Th. I.** P^rimo ad spectu tot homines, qui perpetuæ militiæ nomen dederunt, reipublicæ oneri esse videntur, sed re diligenter deliberata de utilitate exercituum perpetuorum satis nobis persuasibimus.
- Th. II.** Cum certus numerus rusticorum agris colendis, et opificum artibus exercendis sufficiat, permulti otio et penuria ad mendicitatem, latrocinia, aliave facinora redigerentur atque adeo rempublicam perturbarent.
- Th. III.** Olim diuturna bella plerumque fuerunt, præsentem tempore magnitudine exercituum et sumtuosa illorum sustentatione breviora fere esse solent.
- Th. IV.** Iisdem exercitiibus etiam major et celerior pecuniæ, quæ vocatur, circulatio efficitur.
- Th. V.** Cum hostibus quocumque tempore exercitus continuo opponi possit, incursiones externarum gentium impediuntur, quæ olim multo erant frequentiores.

Th. VI. Cum perpetui exercitus semper exercentur
in armis tractandis, res militaris, eum, quo nunc
pervenit, perfectionis gradum attingere potuit.

Th. VII. Coorto bello militi defendenda patria tra-
ditur, et neque rusticus, neque opifex, neque
magistratus, neque privatus omnino quisquam
a suis negotiis depellitur.

Th. VIII. Praedationes et vastationes diminuuntur,
quod milites mercede victuque fruuntur et se-
verae disciplinae legibus adstricti sunt.

Th. IX. Cum hostes mutui exercitibus solis bellum
inferre soleant, caeteri incolae tutiores sunt
tantoque humanius tractantur.

Th. X. Nobilitas, quae nostris temporibus tam nu-
merosa est, habet, ubi virtutem suam exercent
et reipublicae prosit, quae quidem, cum reli-
quos honores non omnes auferre possit, otio
vitiisque se deditura esset.

[Faint, mirrored text from the reverse side of the page, likely bleed-through or a ghost image of the text.]



DISPUTATIO IV.

D. XI. MAJ. MDCCXCIII

HABENDA.

Resp. LENTZ. Opp. ALSTEIN. SCHEEL I. SCHEEL II.

An litterae humaniores nos impediunt,
quominus etiam in negotiis vitae
communis excellamus?

Th. I. Ad litteras humaniores poësis, eloquentia,
historia, philosophia et linguarum studia referri
solent.

Th. II. Iam ii, qui hisce delectantur studiis, in pri-
mis poësi, a multis dicuntur minus idonei ad
vitae communis negotia reperiri.

Th. III. Atque revera sunt, quos ita alliciant, ut re-
liqua prae iis sordeant, et tamquam aspera et
jejuna negligantur.

Th. IV. Cum tamen omnis fere reipubl. bene ordi-
natae felicitas in eo consistat, ut quisque ne-
gotia sibi credita, etiamsi minus jucunda sint,
fideliter administret: ii, qui ad reipubl. ac-
cesserunt, ab hisce studiis, quibus impediuntur,
quominus officio satisfaciant, jure omnino
revocandi videntur.

Th. V. Neque vero aliis solum, sed etiam sibi met
ipsis nocent, commoda sua posthabendõ, su-
periores offendendo, viam ad altiora sibi praec-
cludendo.

Th. VI. Omnia tamen haec incommoda non neces-
saria sunt, nec in studiis ipsis sita, quae mul-
tis contra modis etiam vitae communis negotia
tractantibus, utilia sunt, quod quidem et res
ipsa, et summorum virorum exempla probant.

Th. VII. Requiritur modo: 1) satis ingenii, quod litteras illas cum negotiis peragendis complecti possit.

Th. VIII. 2) Prudens temporis dispositio, quae primum quodque tempus rebus necessariis, jucundis horas subsecivas assignabit. Quae quidem, si adsunt, neque poësis, neque ullum bonarum litterarum genus in gerendis negotiis publicis nocebit, sed multas contra habebit utilitates.

Th. IX. Exhilarant enim primum hae litterae animum, variaque oblectatione novas ad labores severiores sustinendos vires subministrant.

Th. X. Deinde sensus et ingenium, ad omnia, quaecunque suscipimus, melius tractanda, acuunt.

Th. XI. Inprimis linguam excolunt, orationem emendent, scribingendi artem docent.

Th. XII. Innumerabilia in his ipsis litteris insunt, quae, qui sapit, ad negotia sua perficienda potest transferre.

Th. XIII. In artibus Thes. I. expositis omnium reliquarum artium principia latent, quae, qui perspexerit, multo facilius ad sanam theoriam sua negotia revocabit: quod qui potest, multo perfectior erit illo, qui sola praxi vulgari contentus est.

Th. XIV. Didicisse fideliter artes, has inprimis, emollit mores, nec sinit esse feros.

Th. XV. Quae quidem omnia, si quis exemplorum autoritate confirmata cupiat, ex innumerabilibus vel duo illa summa Ciceronis et Friderici exempla omnium reliquorum loco esse possunt. Illius inprimis ex oratione pro Archia caput sextum, hujus autem epistola ad se ipsum, consuli debent; quam autem litterarum deliciis ad agendum haud retardati, sed incitati potius et impulsivi sint, historia illorum satis superque docet.

DISPUTATIO VI.

D. XXIX. JUN. MDCCXCIII

H A B E N D A.

Resp. FRANTZ. Opp. FISCHER. HECHT, I.

Artes humaniores naturam
imitatione satis plena referre non posse.

Th. I. Omnibus humanioribus artibus, quibus
Musicam, Picturam Sculpturam, Architecturam
et quodammodo Poësin annumeramus, natu-
ram imitatione referre propositum est.

Th. II. Hanc illas naturam autem neque omnem ne-
que satis imitari posse unamquamque artem,
probare mihi constitui.

Th. III. Quaedam enim e. g. Pictura, Sculptura
Architectura res duntaxat, quatenus videndae
sunt, ob oculos ponere possunt, v. c. coelum
inhorrrens tenebris, agrum plantis floribusque
obtectum.

Th. IV. Aliae, praecipue Musica, res, quatenus
audiendae sunt, tangere imitatione possunt,
v. c. tonitru sonans, militum clamorem tuba-
rumque clangorem in pugna, fontem murmu-
rantem.

Th. V. Attamen haec cum Poësi conjuncta plura oculis subjecta referre aliquo modo potest, ex historica Poëtae descriptione novum quasi sensum capiens.

Th. VI. Illarum, quae in *Th. III.* nominatae sunt, artium, praecipue Picturae et Sculpturae representatio rerum est momentanea; quam ob causam, qui has artes excolunt, jucundissimum aspectu aut summum in affectu quodam momentum ostendere solent, quod v. c. Laocoonis statua maxime probare videtur.

Th. VII. Musica perpetuam quidem quandam sensuum aut affectuum seriem persequitur, nihil horum tamen nisi quatenus auribus subjectum est; itaque v. c. Voluptatem modo augescentem, modo devigescentem referre potest.

Th. VIII. Quae dicta mihi explanasse videntur, artes humaniores omnem naturam imitatione satis plena referre non posse.

Th. IX. Poësis quidem descriptione adhibita plurimum videtur posse, sed haec ipsa descriptio, quam distat ab effigie sensibus ipsis objecta, omnibus artibus humanioribus exprimenda!

DISPUTATIO VII.

D. VI. JUL. MDCCXCIII

HABENDA.

Resp. KÖPFEN. Opp. RÖMER. ZIEMANN.

Terram esse sphaericam.

- Th. I.** **H**ominis est, de omnibus, quantum fieri potest, maxime autem de illis rebus, quæ propius illum tangunt, cognitionem sibi parare. Quo quidem Terra pertinet: quis enim habitationis suæ ingnarus esse potest, quin jure vituperetur?
- Th. II.** Figuram inprimis terræ multi hodie etiam sunt, qui ignorent; alii globum esse affirmant quidem et in ore habent, sed cur affirment et quibus ex rationibus cognoscatur, plane tamen illis est incognitum.
- Th. III.** Rationes autem, quibus probare possumus, terram esse rotundam, partim ex terræ ipsius superficie, partim ex observatione corporum cælestium repetendæ sunt.
- Th. IV.** Ubicunque consistimus, quatenus montes, sylvæ etc. nos non impediunt, horizontem habemus rotundum, quod non nisi in globo fieri potest.
- Th. V.** In mari inprimis, ubi nihil prospectum impedit, illa rotunditas semper perfecta est.
- Th. VI.** Quocunque per universam terram progredimur, remotiora semper non nisi gradatim extolluntur e. g. cacumina primum, deinde medium,

denique radix montium. Quod quidem non nisi in superficie æqualiter undique curvata, id est, in globo fieri potest.

Th. VII. Etiam hæc observatio in mari propter planitiam perfectam, perfectissima est.

Th. VIII. Tota terra hoc modo sæpius jam (vigies quinques) circumnavigata, nec usquam, aut fines illius, aut planities infinitæ repertæ sunt. Quod in solo globo poterat fieri.

Th. IX. Corpora cælestia eo modo diversis locis ita diverso tempore, oriuntur, tolluntur, cadunt, occidunt, ut ex legibus spheræ solius phænomena ista explicari possint.

Th. X. Clarissimum autem oculis ipsis objicitur argumentum in Eclipsibus Lunæ. Cum enim appareat, nihil aliud esse, quod Lunam tegat, quam umbram terræ, umbram autem, quæcunque circumferentiæ terrestri partes illam efforment, semper uno eodemque modo esse rotundam: corpus profecto, quod ab omnibus partibus rotundam præbet speciem, globus sit necesse est.

Th. XI. Porro, ex quo scimus, terram esse ex illis orbibus, qui circa solem moventur, sane, cum reliqui omnes rotundi sint, terram pariter esse rotundam, concludere licet.

Th. XII. Globus etiam, ex omnibus reliquis corporum figuris, ad movendum aptissimus est.

Th. XIII. Denique, cum motu suo figuræ corporum cælestium formatæ esse videantur, nulla hoc motu figura alia, quam globus, effici potuit.

Th. XIV. Quæ omnia globositatem Terræ ita mihi probare videntur, ut nihil sit, quod cum aliqua modo similitudine veri contra afferri possit.

Th. XV. Quæcunque per universam terram progrediuntur, remanentia sunt, hæc præterea erant. Invenit & cæcinitas drinim, deinde medium

DISPUTATIO VIII.

D. XIII. JUL. MDCCXCIII

HABENDA.

Resp. BROCKMEYER. Opp. HEINEKE. FAHRENHOLZ.

Juvenilem ætatem inprimis amicitia
esse aptam.

Th. I. Veras amicitias inter juvenes aut esse nul-
las aut rarissimas, fuerunt et adhuc sunt, qui cre-
dant, et præcipue amicitias juvenum, qui litteris
incumbunt, plus sæpe illis obesse, quam prodesse
putent.

Th. II. Sententia horum partim causis levibus, par-
tim vanis opinionibus nititur, partim virtutem
amicitiam gignere, et amicitiam nisi inter bonos
esse non posse, haud satis perpendunt.

Th. III. Et cur non boni juvenes eodem modo ami-
citiæ veræ ineunda essent idonei, quam viri
et senes? juvenilem ætatem e contrario inprimis
amicitiæ esse aptam, facile ostendi potest.

Th. IV. Juvenes, et præcipue qui litteris incumbunt,
non paria fere negotia peragunt, quam ob rem eo
facilius societatem inter sese inire, consuetu-
dinem tueri amicitiasque servare possunt.

Th. V. Cumque juvenis non ita utilitatis causa ab
aliis decipi soleat, ut ætate provectiones: eam

ipsam ob causam etiam aliis minus diffidit, eo-
que facilius in aliorum consuetudinem se in-
finuat.

Th. VI. Quibusnam idem negotiis gravibus aut con-
siliis ancipitibus implicari solet, ad quæ expedi-
dienda aliorum amicitia egeat? Ergo nec est,
cur auxilii causa amicos sibi adjungat.

Th. VII. Amicitia igitur juvenilis fundamentum raro
est commodum sive utilitas, sed solus favor na-
turalis animorumque consensio.

Th. VIII. Cumque illa istis rationibus haud duca-
tur, eo ardentior sinceriorque sit necesse est.

Th. IX. Meliora omnia adhuc de hominibus sentiens
juvenis, ingenue ac libere loquitur ac negotia
peragit. Attentione senis caret, et amico suo
plicas animi occultissimas aperit, qua re vincu-
lum amicitia tanto arctius redditur.

Th. X. Et experientia ipsa probat, amicitias, quæ
inter juvenes exstiterunt, diuturnissimas esse so-
lere. Et re vera memoria juventutis peractæ et
communis litterarum cultura, magnum adju-
mentum mutui amoris esse debet.

Th. XI. Juvenes igitur boni, quibus placet amicos
æquales habere, tales facillime inveniendi maxi-
me habent copiam, et, si in iis diligendis satis
cautionis adhibeant, hæc amicitia illis non
perniciosa, sed utilissima erit.

DISPUTATIO IX.

D. XX. JUL. MDCCXCIII
HABENDA.

Resp. HEYER I. Opp. LENTZ. FRANTZ.

Introducto etiam novo codice legum, jurisperito notitiam latinæ linguæ necessariam futuram.

Th. I. **L**atinæ linguæ, quæ tantum confert ad ingenium excolendum, quicumque humanitatis studia amat, notitiam sibi parare deberet; in primis ergo etiam jurisconsultus.

Th. II. Nam in explicandis scriptoribus juridicis hæc lingua maxime necessaria mihi esse videtur; quos quidem scriptores jurisperitus quisque, introducto, etiam codice legum germanico, tamen cognoscat necesse est, si quidem merus practicus esse non vult, sed jurisprudentiam funditus intelligere, et eruditam illius sibi comparare scientiam.

Th. III. Uniuscujusque jurisconsulti est, magnorum virorum, qui de rebus forensibus scripserunt, quæ ipsi tractandæ sunt, sententias consulere, et in scriptis suis autorem et locum libri ejusdem, quo hac de re scriptum est, indicare; quod fieri tamen non posset, si nullam noti-

tiam linguæ et autorum haberet, quia maxima ex parte hi libri latine scripti sunt.

Th. IV. De pluribus rebus, quæ in codice non copiose satis expositæ sunt, jurisperito necessarium est, suas ideas ex iisdem libris ditare.

Th. V. Etiam in usu nostro forensi multa verba latina occurrunt, et maximæ ignominia esset, si quis vitia committeret, a superioribus notanda, quæ nulli jam discipulo concederentur. Quod, lingua latina neglecta, futurum tamen esset.

Th. VI. Sæpiissime etiam examina, quibus iuriconsultus subiectus est, latine habentur et dedecori est, si, qui munus ambit, non in hac eruditorum lingua respondere potest. Olim certam profecto repulsam tulisset.

Th. VII. Iurisperito jucundum erit, in otio linguæ studere, quæ, quantum iudicio acuendo et generi scribendi formando inservit, tantum etiam jucunditatis affert.

Th. VIII. Quam utilitatem ac jucunditatem tantam cum afferat, impellant hæc causæ necesse est omnino juvenem, qui iuriconsultus futurus est, manut, si etiam novus codex legum nostrarum introduceretur, hanc linguam plane tamen sibi discendam existimaret.

DISPUTATIO X,

D. XXVII JUL. MDCCXCIII

H A B E N D A.

Resp. BÜHRING, OPP. KÖPPEN, BROCKMEYER.

Quomodo fieri potuit,
ut Ulysses omnes procos Penelopeia, a
tribus viris tantum adjutus & nullo
numine adjuvante, interfecerit?

Th. I. Si in Homeri Odyssea eadem procorum legimus, primo adpectu nobis non persuadēbilis, quomodo Ulysses tam multos procos sine auxilio numinis interficere potuerit; ego vero, quomodo etiam, nullo numine adjuvante, fieri hoc potuerit, ostendam. Antea vero nonnulla, quae ad historiam pertinent, addere mihi liceat.

Th. II. Homerus jam in prima rhapsodia Odyssea dicit, absente Ulysse multos procos domum Ulyssis, Penelopeia in matrimonium ducendae causa, convenisse, eosque ibi ludendo, laute epulando ac bibendo tempus consumpsisse. — In sequentibus rhapsodiis porro narrat, Penelopeiam, semper sperantem, Ulyssē rediturum esse, instantibus procis spem dedisse, se, textura constituta Laerti detexta, alicui eorum in nupturam esse, — eam vero procis, qui, cum denique, tamen illam interdum texta noctu semper retexuisse cognovissent, illi eo magis instabant, in ceteram cum arcu in domo instituisset, dicentem, se illi, qui arcum contenderet et sagittam per secures mitteret, uxorem secururam esse. — Postremo tunc dicit, Ulyssē, jam longe aethra Ithacā reversum et apud Eumaium versaturum et iratum, et diutius non patientem, ut res sua familiaris consumeretur, arcu suo per Eumaium positum, procos, qui omnes arcum intendere non potuerant, praecipue Minervae et

- trium virorum auxilio, interfecisse. — His præmissis, ipse nunc ostendam, quomodo Ulysses procos omnes sine auxilio numinis et tantum tribus viris adjuvantibus, occidere potuerit. —
- Th. III.** Ut illis temporibus omnino vaticinia ac omina, præcipue, si aruspices ea confirmarent, commovebant homines, proci etiam maxime iis sunt commoti et ex parte a pugna retenti.
- Th. IV.** Cum omnes proci arcum contendere non valerent, et Ulysses arcum, simulac potius erat, subito tendere viderent, terror eos invasit, et adhuc major,
- Th. V.** Cum Ulysses, se revera Ulysses regem Ithacæ esse, illis dixisset, et nunc
- Th. VI.** Auctoritas et nomen regis Ithacæ et recordatio illius rerum gestarum, credentes, se omnino ab Ulysses superatum iri, a pugnando eos deterruit.
- Th. VII.** Ex præmissis Ulysses numen non adjuvit, ponamus vero necesse est, illud credidisse procos: cogitatio vero numinis Ulysses adjuvantis effecit, ut proci omnem animum amitterent, credentes, ob scelera sua non, Ulysses omnino numen adstiturum.
- Th. VIII.** Proci violenti id efficere non potuerunt, quod sobrii sane effecissent.
- Th. IX.** Memoria nonnullorum pristinorum factorum Ulysses v. c. illius certaminis singularis cum mendico Iro, omnes sine dubio valde tardiores ad pugnandum reddidit.
- Th. X.** Denique etiam proci, timentes, ne, ut Antinous, Eurymachus etc. si propius accederent, occiderentur, et videntes tela sua in certamine missa neminem interficere, a certando sunt deterriti.
- Th. XI.** Nunc forsitan non nemo adhuc quæreret, quomodo Ulysses contra tam multos viros pugnare ausus sit? sed isti omnia, quæ acciderant illi, cogitatio numinis se adjuvantis, violentia procorum etc. fatis animi addere potuerunt.

DISPUTATIO XI.

D. III. AUG. MDCCXCIII

H A B E N D A.

Resp. NETTMANN. Opp. HEYER I. BÜHRING.

Quanta juveni etiam
ex instituendis aliis utilitas sit haurienda.

Th. I. Sunt fortasse, qui negent ex aliis instituendis utilitatem capere juvenem posse; quibus quidem paucis verbis contrarium exponam.

Th. II. Alios docere minime damno esse potest, si
a) satis jam ipsi scientia valemus, ut eos rebus utilibus instituere possimus.

Th. III. b) Si non omne tempus in docendis aliis consumimus, nec negotia nostra necessaria negligimus.

Th. IV. Quod si cavemus, nostrum omnino est, aliis nos reddere utiles; idque tanto magis, quod

Th. V. Aliis nos reddendo utiles, nobismetipsis vario modo profumus.

Th. VI. Aliis hac ratione inferviendo firmiores ipsi erimus in iis, quæ didicimus, & iterum iterumque ea repetendo, tanto magis de iis meditabimur, & errores, quibus impediabamur, solvemus.

Th. VII. Necessarium etiam & maximam utilitatem nobis esse potest, quod, instituendis aliis facultatem nobis comparare possumus, notiones nostras, bene, recte ac distincte explicandi, & illas quam celeritate collectas aliis tradendi.

Th. VIII. Animi porro commotiones lenire ac coercere haud minus discimus, patienter enim vitia infirmiorum perferre debemus; quo ipso etiam nostra vitia & mala cognoscimus.

Th. IX. Denique etiam hominum ingenia & mores cognoscendi & quid cujusque indoles ac vires valeant, intelligendi nobis facultas datur.

Th. X. Quibus perspectis, nemo negabit, ex instituendis formandisque aliis maximam etiam a juvene utilitatem capi posse.

DISPUTATIO XII.

D. X. AUG. MDCCXCIII

HABENDA.

Resp. ALSTEIN. Opp. NETTMANN. SCHEELE I.

Num
honor sit expetendus?

- Th. I.** Mirandum est, esse homines, qui honoris cupiditatem extinctam optent. Quod ego quidem falsa definitione honoris & falsis notionibus effici crediderim.
- Th. II.** Honor est alterius opinio de bono, quod alicui inest.
- Th. III.** Omnis itaque honor ex opinione honestatis oritur.
- Th. IV.** Sed cum in honesti studio virtus inest, nihil verum afferre honorem præter virtutem potest. Cum ab honestate autem laus proficiscatur, nihil laudabile est, quod ab honestate alienum est.
- Th. V.** Verissima & rectissima igitur via ad laudem gloriamque est, omnia honeste justeque facere, quæ qui non facit, veram laudem non assequitur.
- Th. VI.** Qui igitur dicit honorem esse appetendum, revera nil nisi virtutem ipsam appetendam esse dicit.
- Th. VII.** Sed modo cavendum est, ne falsum honorem, id quod sæpissime accidit, sequamur, & a

laude honestatem & justitiam separemus, sine qua nulla laus vera esse potest.

Th. VIII. Etiam maxime cavendum, ne honorem gloriamque ex sententia vulgi metiamur: quod generi, divitijs &c. honorem tribuit.

Th. IX. Tertia denique cautio est, ne vulgi laudibus capi nos sinamus, aut adulationibus eorum, qui sui commodi causa & placendi studio omnia a nobis dicta & facta laudant, etsi longe aliter cogitent; & ne irascamur, si qui nolint eam laudem nobis tribuere, eumque honorem habere, qui nobis & virtuti nostræ tribuendus est.

Th. X. Præcipue illud est tenendum, ut virtus ne simulata sit, nec specie inani fallat: nam tunc honorem & laudem minime stabilem, sed caducam capiemus. Esse, non videri, summis hominibus in proverbio fuit.

Th. XI. Natura ipsa ad laudis studium nos conformavit, ut quo magis quisque ingenii animique dotibus abundet, eo sit laudis gloriæque appetentior & studiosior.

Th. XII. Contra hæc omnia peccari, nos docet experientia quotidiana, sed multos homines nobis haud sequendos esse ratio sana docet. Si vero cupiditas honoris gloriæque ad illa præcepta instituta sit, tunc non questio est, num sit honos expetendus?

DISPUTATIO XIII.

D. XVII. AUG. MDCCXCIII

HABENDA.

Resp. SCHEELE I. Opp. ALSTEIN. SCHEELE II.

De præstantia religionis christianæ præ judaica.

Th. I. **T**emporibus et antiqui & novi fœderis religio sive ratio colendi Deum cum hominibus cœlius quidem communicata floruit: comparata tamen inter sese religione christiana & judaica, quantum huic illa præferenda sit nemini non sobrie & recte judicanti patet.

Th. II. Instituta est religio Christi nomine insignita per Christum, filium Dei ac miraculis mosaicis longe majoribus confirmata. Inter prophetas Mosi quidem omnium prima laus adsignanda est, fuit enim prophetarum maximus: at nec filius nuncupatur, Dei nec mortuorum quemquam in vitam revocavit.

Th. III. Religio per Christi discipulos annuntiata longe lateque per orbem terrarum facem suam circumtulit; quo non vestigia apostolorum, eo fama tamen religionis, quam profitebantur, peruenit: religio judaica in angustiis terræ canonicæ finibus inclusa & circumscripta fuit.

Th. IV. Præscriptit Moses Israelitis cultum Dei difficilem, sacrificia, lavationes, jejunia, abstinentiam a multis cibis, anniversaria itinera, dies festos Hierosolymæ celebrandos: Christus nobis tradidit rationem colendi Deum facilem, quæ affectibus nostris continendis Deoque adorando maxime constat.

Th. V. Oborta est maior cognitionis lux religione christiana, ut homo Deum optimum maximum patrem suum veneretur, suæ ipsius salutis curam sapienter agat, quemvis hominem fraterno amore diligat & complectatur, in omnibus calamitatibus spe futuræ felicitatis lætabundus semet erigat: hæc sunt officia, quæ clarioribus & gravioribus argumentis nobis inculcat religio christiana quam judaica.

Th. VI. Ad observationem legum divinarum Moses Israelitas obligavit promissionibus bonorum æternorum e. g. possessione terræ cananiticæ: Christus ad sui imitationem nos invitavit imprimis promissione bonorum spiritualium & æternorum.

Th. VII. Abrogata est religio judaica adventu Christi: evanuerunt umbra salutifera ejus apparitione: stabit religio christiana & vigebit ad consumationem usque sæculorum. Est petra, ut Christi ipse utar verbis, quam portæ infernales non diruent.

DISPUTATIO XIV.

D. XXIV. AUG. MDCCXCIII

H A B E N D A.

Resp. SCHEELE II. Opp. FISCHER. HECHT I.

De expeditionibus cruciatis, noxisque
per illas Europæ illatis.

Th. I. Constat inter omnes, expeditiones cruciatis eo consilio susceptas esse, ut Turcæ Hierosolymam & Palæstinam occupantes urbe & terra sancta expellerentur.

Th. II. Coalescebant principes & populi Europæ, auctore & suasore pontifice Urbano secundo, qui pro recuperanda terra sancta non secus ac pro aris & focis dimicabat, idque negotii incolis Europæ tanto cum fervore commendabat, ut non adulti & senes tantum, sed & pueri ad sacrum bellum se adtingerent.

Th. III. Primum exercitum in orientem duxit Godofredus Bullionensis, & Secundo quidem Marte Saracena variis proeliis victi in fugam dabantur. Capta Hierosolyma Godofredus ab exercitu rex Hierosolymæ renuntiatus coronam sibi imposuit.

Th. IV. Consilium terram sanctam recuperandi, & e potestate Turcarum vindicandi pie quidem, sed

non satis prudenter initum fuit. Quot & quanta sunt mala, quæ in Europam inde redundarunt!

Th. V. Europa ingentem incolarum multitudinem amisit. In viam se dabant numerosi exercitus, at maxima illorum pars, non tam ense Turcarum, quam itinerum molestiis & difficultate, comineatus penuria, & imperatorum orientalium dolis & fraudibus periit.

Th. VI. Ut milites crucigeri armis, vestimentis, comeatu instruerentur, Europa, pontifice indulgentias promittente, pecuniam conferebat. Argentum Europæ exhaustæ in ararium pontificale confuebat.

Th. VII. Quantum autem illo tempore, cum principes & cives Europæ in verba pontificis jurarent, atque is & opibus & animis imperaret, pontificis in populos potentia incrementi ceperit, dici vix potest. Incepit hoc tempore Hierarchia, arrogavit sibi pontifex potestatem principes ac cives a communiōe sacrorum excludendi.

Th. VIII. Milites crucigeri in patriam redeuntes morbos Europæ hucusque insolitos secum attulerunt. Principes luxuriam Asiaticam imitari ceperunt.

DISPUTATIO XV.

D. XXXI. AUG. MDCCXCIII

HABENDA.

Resp. FISCHER. Opp. RÖMER. ZIEMANN.

Nostros majores fuisse doctiores,
sed
nos esse sapientiores.

Th. I. Fortasse nonnullis arrogantes videamur, si contendimus, majoribus nostris nos esse sapientiores: sed virtutes suas noscere juvat, earumque cognitio minime est arrogantia. Majorum de nobis merita permagna sunt; & illa agnoscimus, si eos nobis fuisse doctiores fatemur.

Th. II. Cum litteræ, typographia inventa, reviviscerent, præcipue scriptores græci & latini imprimerebantur; quo factum est, ut plurimi ad linguarum studium incitarentur. Hac ratione multi exstiterunt viri doctissimi, quorum qui ab hoc tempore usque ad dimidium nostri seculi fuerunt, majores illi sunt, de quibus nunc sermo est.

Th. III. Ex eo nova institutio orta est, quæ disciplinas magis respicit; & viri hujus ætatis sunt, quos sapientiores voco.

Th. IV. Confiteor nostros majores nobis fuisse doctiores. Sed necesse est, ut meam sententiam de doctrina majorum explicem.

Th. V. Doctrina s. eruditio in cognitione rerum historica magis consistit, sive studiosa illorum collectione, quæ de re quacunquæ ab aliis jam cognita & dicta sunt. Quod quidem ut consequatur

mur, maxime studiis & omnium sine discrimine librorum lectione opus est.

Th. VI. Jam vero unusquisque concedet, nostros majores nos longe vicisse studio linguarum veterum. Nam quanta & quam voluminosa opera ex parte ipsa latina, & græca adeo, scripta lingua, ex parte ad linguas illas discendas comparata nobis reliquerunt! Quod si ad calculum revocare velimus: numerus virorum illorum insignium, nostrum numerum valde superaret.

Th. VII. Attamen magna ex parte illorum cognitio inprimis latinæ linguæ memoriæ opus erat, judicio contra inculto relicto, quod ex antiquis commentariis & versionibus, quæ nobis adhuc supersunt, elucet.

Th. VIII. Majores studuerunt sæpe linguis linguarum causa & obliti sunt, eas tantum esse auxilia ad ingenium disciplinæ excolendum.

Th. IX. Quod vero ad sapientiam i. e. ad cognitionem rerum, et disciplinas pertinet, nos quidem majoribus nostris præferendi videmur.

Th. X. Etsi enim non tantam facultatem loquendi scribendive habemus, tamen melius linguis utimur, & veteres scriptores melius, vel juvenes etiam, intelligimus.

Th. XI. In disciplinæ quis majores viros producere potest, nos aut nostri majores? Si singulas disciplinas spectamus, quantos profectus in philosophia, historia naturali, rebus physicis &c. fecimus?

Th. XII. Si vero nostram vitam cum vita majorum comparamus; ut illi in libris sepulti fuerint, ut turpe censuerint, si cum aliis hominibus non doctis versarentur, nos vero ut didicerimus, illis quæ scimus, in ipsa vita frui: quisque judicabit, nostros majores fuisse doctores, sed nos esse sapientiores.

DISPUTATIO XVI.

D. VII SEPT. MDCCXCIII

H A B E N D A.

Resp. HECHT I. Opp. HEINEKE. FAHRENHOLZ.

Mathesin esse magnae utilitatis,

Th. I. **M**athesis est scientia, quae notiones distinctas de magnitudine sive quantitate rerum nobis suppeditat; ideoque

Th. II. est inter utilissimas doctrinas referenda.

Th. III. Praecipue enim iudicium acuit, et cum nihil contineat, quod non accurate et perfecte demonstrari possit, hujus doctrinae ope etiam in aliis doctrinis ad certam veri cognitionem et facilitatem quandam omnia celerius et clarius examinandi atque distinguendi pervenimus.

Th. IV. Cum Mathesis tam multas partes amplectatur, prope nemo est, qui illa plane carere possit: ita ut non solum docto, sed etiam artifice, oeconomio, venatori etc. aliqua cognitione hujus doctrinae opus sit.

Th. V. Nam in vita communi permultae res sunt, ad quas melius cognoscendas & judicandas Mathesis non solum utilis, sed necessaria est, exempli gratia in dimensione agrorum, in aedificiis extruendis etc.

Th. VI. Cum Mathematicis nobis corporum coelestium, atque totius omnino universi cognitionem nobis comparet notiones praestantissimas ac maxime sublimes de Creatoris magnitudine et majestate nobis dat, quas ex nulla alia doctrina tam perfecte haurire possumus.

Th. VII. Denique nulla scientia veritates continet, quae omne dubium et omnem ita contradictionem excludunt, ut in omni rerum natura, quo cunque loco et tempore, veras esse reperiamus. Eamque ipsam ob causam veritates hae geometricae optimum totius nostrae cognitionis fundamentum constituunt.

Th. VIII. Quae omnia mihi satis probare videntur, Mathematicam summam esse utilitatis, et ab omnibus et singulis discendam.

DISPUTATIO XVII.
D. XIV. SEPT. MDCCXCIII
H A B E N D A.

Resp. FRANTZ. Opp. LENTZ. KÖPPEN.

Non concipi posse absolutam a priori
demonstrationem.

Th. I. Solemus aut a priori aut a posteriori probare, & in omnibus libellis logicis distributio in hasce duas formas demonstrationis invenitur.

Th. II. Absolutam autem demonstrationem a priori concipi non posse, sed omnem demonstrationem notionibus a posteriori perceptis niti, explanare mihi proposui.

Th. III. Omnia, quæ cogitamus, & ergo etiam demonstrationes quævis, sunt abstracta ex iis, quæ sensibus percepta sunt. Nihil est in intellectu, quod non ante fuerit in sensu.

Th. IV. Unde sequitur: omnia, quæ ad demonstrandum adhibemus, si ad primos redeamus fontes, non tam a priori, quam a posteriori derivanda. Declarent illud hæc exempla.

Th. V. Existentia Dei, quanquam a priori multi eam explicare volunt: tamen a posteriori tantum explanari potest. Nam

Th. VI. Experientia nos docuit, aut (quod est idem) sensibus nostris percepimus, nihil, nisi causa effectrix adsit, effici posse, & quo major sit res effecta, tanto majorem cognitionem hujus rei

opificem complecti; ex quibus concludimus, cum hunc mundum perfectissimum omnino opus cernamus, opificem hujus mundi esse debere Ens perfectissimum, quod Deum nominamus.

Th. VII. Decreta Geometrarum a priori multi putant demonstrari, sed tamen etiam hæc non est absoluta a priori demonstratio. Nam

Th. VIII. Prior profecto corporum fuit adfectus, et irregularium quidem et multiformium, unde formarum regularium, figurarum, planorum et linearum notiones, unde primas adeo numerorum notiones abstraximus.

Th. IX. Quae omnia mihi quidem probare videntur, nullam omnino demonstrationem absolutam, quae cum cognitione sensibus percipienda nullo modo cohaereat et ab illa pendeat, a priori concipi posse.

DISPUTATIO XVIII.

D. XXI. SEPT. MDCCXCIII

H A B E N D A.

Resp. KÖPPEN. Opp. FRANTZ. BROCKMEYER.

Clarissimam magnitudinis divinae cognitionem ex Astronomia posse hauriri.

Th. I. Nil hominem magis movere potest, quam contemplatio magnitudinis divinae in ordine et conformatione ejus operum conspiciendae; et quanto puriores clarioresque de his ideae sunt, tanto magis animus obstupescit, et tanto nobis evidentior est Dei magnitudo.

Th. II. Nostri systematis principatum tenet sol, circa quem omnes planetae cum eorum lunis admirando ordine, diversis orbitis et temporibus, moventur, ille autem satis virium habet, ad lucem et calorem his omnibus corporibus, etiam remotissimis, semper in maxima celeritate mittendum.

Th. III. Sol autem, ut hoc possit, omnes planetas cometasque unus magnitudine maxime superat et magnitudine immensa summam admirationem excitat.

Th. IV. Stellas, quae innumerabiles in coelo apparent, recte totidem soles judicamus, quorum quisque alia corpora aut planetas illustrat et calefacit.

Th. V. Via lactea, cujus soles ob infinitam distantiam tangere se videntur, comprehendit infinita folium systemata; stellae quoque nebulosae, ut clarissimi Astronomi docuerunt, nihil nisi galaxiae sunt, majori adhuc distantia, innumerabilia pariter folium systemata continentes.

Th. VI. Quae omnia, vinculis nobis ignotis inter se conjuncta, si unum opus et unum mundi universum esse cogitamus: qualia et quanta essentia intelligimus!

Th. VII. Cum persuadere nobis haud possumus, haec omnia sine usu naturae intelligentis adesse: probabile fit, ea corpora omnia ab animalibus, imprimis etiam mente praeditis, inhabitari.

Th. VIII. Haec autem omnia et singula novit, regit et conservat Deus, ita ut in tantis et tam multis rebus nil praetereatur aut negligatur. Quanta igitur mens esse debet, quae haec omnia fecit, et sic ordinavit, ut hoc opus in aeternum in tanta perfectione consistere possit.

Th. IX. Quibus quidem ex omnibus factis apparere videtur, magnitudinem Dei ex Astronomia optime cognosci posse.

SEMESTRE HYEMALE

MDCXCIII.

SEMESTRE HYMNALE

MDCCXIII



DISPUTATIO I.

D. XII. OCT. MDCCXCIII.

H A B E N D A.

Resp. RÖMER. Opp. HEYER I. BÜHRING.

Amore nostri ipsorum omnem nostram
niti felicitatem.

Th. I. **A**mor sui nil nisi est studium hominis a natura illi attributum, ut omnia, quae ad salutem suam pertinent, adsequatur.

Th. II. Sed hoc studium hominum injusta subsidiorum applicatione, quibus ad salutem nostram pervenire possumus, corrumpitur, et tunc inde suboriuntur vitia, v. c. ambitio, avaritia, libido.

Th. III. De hac vero non differo amoris hujus de generatione; nam hanc prosequitur miseria, illum verum amorem felicitas. Sed qua ratione illi debeamus felicitatem nostram, paucis iam expeditiam.

Th. IV. Quisque homo, quodque animal rebus multis indiget; quas ut homo sibi compararet, a Deo illi amor sui infitus est.

Th. V. Huic ergo amori omnem nostram salutem vel omne bonum, quod nobis est, debemus; hoc bonum autem in morale et in physicum distinguere possumus, i. e. quod et animum et corpus spectat.

- Th. VI.* Ad morale, sive quod ad animum pertinet, omnis nostra cognitio omnesque disciplinae, quae maxime vitae conditionem sublevant, sunt referendae.
- Th. VII.* Porro hic numerandae omnes nostrae virtutes, in quibus humana consistit felicitas, quoad mentem, sive animum spectant, et tunc sunt hae virtutes morales. Nam
- Th. VIII.* Virtus quodammodo quidem ad physica bona esset etiam referenda, cum sit facultas recte agendi; cum vero actiones a voluntate proficiantur, ad moralia rectius refertur.
- Th. IX.* Physica vero, sive quae corpus propius attingunt bona, omnes continent artes, quae maxime ad vitam conservandam, sublevandamque pertinent.
- Th. X.* Nam inde nobis redundant victus, vestitus, domicilium et multae aliae res, quae maxime ad vitam sunt necessariae.
- Th. XI.* Omnia illa vero, amore nostri ipsorum compulsi, quaerimus, colligimus, paramus, persequimur.
- Th. XII.* Plura adhuc mihi addere liceret, quae ad vitam beatam requiruntur; sed iam ex his satis mihi perspicuum esse videtur, quam felices nos reddat amor nostri ipsorum; quisque vero inde concludere potest, vitam, si illo careremus, nullam esse.

DISPUTATIO II.

D. XIX. OCT. MDCCXCIII.

H A B E N D A.

Resp. ZIEMANN. Opp. BRAUNSCHWEIG. HOPPE.

Sine religione nullam civitatem
consistere posse.

- Th. I.* Quousque ad origines hominum redimus, et quocunque terrarum circumspicimus, religionem aliquam apud omnes fere populos inveniemus.
- Th. II.* Singuli tamen homines antiquitus fuerunt et adhuc sunt, qui, errore ducti, Deum esse negaverint et negent.
- Th. III.* Quorum alii quidem eam opinionem amplexi fuisse videntur, quo liberius cupiditatibus et libidinibus inservire possint; alii autem, etsi nulla religione obstringuntur, honesta quævis tamen colenda censent, et virtutis gratia, qua sola suam ipsorum et aliorum felicitatem consistere intelligunt, virtutem exercent.
- Th. IV.* Civitas autem universa, si quando ex illa persuasione exciderit, non dubium est, quin perdita sit.
- Th. V.* Multitudo tota enim ad hanc perfectionem nec ascendit nec ascendere potest, ut virtutem exercent, virtutis gratia, nec nisi honesti cognitione ducta.

- Th. VI.** Incitamenta igitur ad recte agendum in multitudine ex religione maxime defumenda sunt; quae si non essent, multi hominum nulla re impedirentur, quominus effrenate peccarent.
- Th. VII** Si v. c. vulgus Deum esse non crederet, qui flagitia odio haberet, et a sceleratis poenas fumeret, clam atque ab aliis remotis multa committerent, quibus nunc cogitatione praesentiae divinae arcentur.
- Th. VIII.** Porro, si homines Deum benefactorem suum et fontem omnium bonorum non venerarentur, sed omnia vel sibi vel fato alicui tribuerent, nullo grati animi sensu obstricti multo minus illis recte uterentur, quam nunc, quum gratus erga Deum animus eos impellit, ut recte utendo beneficiis ejus se dignos praesent.
- Th. IX.** Denique autem, ut unum adhuc aliis omis- sis argumentum adferam, si nulla immortalitatis notio et spes inter mortales existeret: neque timor poenarum post mortem subeundarum multitudinem a flagitiis, libidine, fraude &c. retineret, neque spes bonae conditionis futurae ad honestatem, continentiam, fidem erga alios &c. impelleret.
- Th. X.** Quibus virtutibus autem vita humana exem- tis, quis non videt, civitatem consistere non posse? quod hodie quidem in Francogallia clarissime videmus evenire.

DISPUTATIO III.

D. XXVI, OCT. MDCCXCIII.

H A B E N D A.

Resp. HEINEKE. Opp. NETTMANN. ALSTEIN.

Unumquemque loco ordineque suo aliis
prodesse et posse et debere.

Th. I. **M**ulti saepe querelam haud magis justam, quam quae de temporum corruptione circumfertur, de sua extollunt conditione, illam nec ad alios juvandos, nec praefertim ad sese insignes reddendos idoneam accusantes.

Th. II. Qui quidem conditionis suae commoda ignorant, aut quod quisque in vita communi bene meretur, contemnunt, et nil nisi splendide facta egregium aliquid putant.

Th. III. Unicuique vero, qui reipublicae usui esse vult, quocumque loco et tempore vivat, bene merendi et laudabiliter agendi semper offertur potestas.

Th. IV. Quippe qui vires et animi et corporis aut rusticus, aut artifex, aut negotiator, aut oeconomus, aut in quocumque alio vitae communis negotio in suam civitatisque utilitatem excolit adhibetque, utrum ille minus reipublicae prodest, quam vir eruditus, aut imperator, aut doctor publicus aut politicus, aut iudex, aut alii ordinum superiorum cives? Quid est prod-

esse, nisi viribus in aliqua felicitatis humanae parte augenda uti?

Th. V. Omnes vero eodem modo utiles nos prae-
bere non possumus; omnibus enim sapientissi-
mo naturae consilio diversae sunt facultates et
diversa pro temporum locorumque ratione con-
ditio. Qua diversitate, si fieri posset, sublata,
sive ad eandem excellentiam eveheremur omnes,
sive ad eandem deprimeremur humilitatem, uni-
versa simul, quae ex varietate et multiplici ho-
minum perfectione nascitur, voluptas esset
peritura.

Th. VI. Quodsi vero his ex causis omnes aliis pro-
desse debent, atque communibus officiis ob-
stringuntur: nemo sane excipitur, quin pro
suis viribus aliquam reipublicae partem susci-
piat, et aliorum commoda juvet.

Th. VII. Quibus quidem officiis ut satisfaciat quis-
que, eam vitae rationem eligat necesse est, cui
maxime idoneus est, neque majora munera sus-
cipiat, quam quibus vires sufficiunt, eadem ta-
men minime sunt negligendae, si ad perfectio-
nis majorem gradum provehi posse apparet.

Th. VIII. Quodsi ab omnibus sit, omnes velut uno
corpore conjuncti et collecti rectissima via ad
felicitatem et publicam et privatam pervenimus,
quam felicitatem profecto patriae nostrae con-
tingere videmus, in qua omnium locorum et
ordinum homines ita inter se communibus le-
gibus conjunguntur, ut omnes omnium com-
moda pro viribus servare et augere possint.

DISPUTATIO IV.

D. II. NOVEMB. MDCCXCIII.

H A B E N D A.

Resp. FAHRENHOLZ. Opp. ULLRICH. BEKUHR.

Servitutum ecclesiasticam omnium esse
perniciosissimam.

- Th. I.* **S**ervitutum ecclesiasticam intelligo vim externam, qua quis ad religionem aut sectam aut opinionem aliquam amplectendam aut relinquendam cogitur; eamque et hominibus singulis et societati et religioni ipsi perniciosissimam judico.
- Th. II.* (A.) Religio cognitione Dei consistit, modoque Deum colendi, qui ex illa cognitione sequitur.
- Th. III.* Homo autem, etsi societatis legibus vario modo circumscribitur, sensu tamen et animo liberrimus est; inde etiam omnia, quae cognitione nituntur, liberrima, a sola persuasionem pendent.
- Th. IV.* His in omnibus, quae huc pertinent, institutione et rationibus ducendus, non vi externa impellendus est; idque tanto magis, quo gravior est res, de qua agitur, maxime igitur in religione.
- Th. V.* In religione autem si quis vi externa cogitur, illa, ad quae cogitur, illis, quae sentit et de quibus sibi persuasit, fieri potest ut plane re-

pugnent. Tum vero aut ad resistendum et pertinaciam, aut ad fraudes et subterfugia, aut ad hypocrisim et simulationem compellitur.

Th. VI. Omnia vero haec animum hominis ita corumpunt, ut ad veri cognitionem, ad recte agendum et ad felicitatem sibi comparandam minus idoneus sit.

Th. VII. (B.) Societas autem si hominibus pertinacibus, fraudulentis et hypocriticis abundat, commoda multa perdit, quorum causa homines in societatem congregantur, et incommodis contra multis magnisque urgetur, quae vitam humanam infestant.

Th. VIII. Scilicet et ii, qui cogunt, et ii, qui coguntur, sibi invicem molesti sunt, infestos et inimicos animos gerunt, adversariorum quasi partes tuentur, suspicione, metu, mala fide anguntur.

Th. IX. Quae quidem omnia non ad homines in amicitiam conjungendos, sed separandos et in factiones et sectas discindendos valent, ut historia omnium temporum docet.

Th. X. (C.) Religio denique ipsa, quae hominibus sanctissima esse debet, in odium et contemptum incidit, neque enim amare possumus, quod nobis triste est, et beneficia ipsa odimus, si modo infesto et barbaro, et per vim et minas obruduntur.

Th. XI. Quibus omnibus efficitur, et vim illam externam, qua religionem fatis multi sustinere, tutari, propagare voluerunt, et qua imperium quoddam et servitium ecclesiasticum constituitur, et hominibus singulis et civitati et religioni ipsi perniciosissimam esse existimem.

DISPUTATIO V.

D. IX. NOVEMB. MDCCXCIII.

H A B E N D A.

Resp. LENTZ. I. Opp. DOERGE. HERTEL.

Quomodo libertas felices reddere nos
potest?

- Th. I.* **P**opulus libertate carens, si credimus aliis, felix esse non potest. Alia tamen exempla docent, libertatem etiam infelices reddidisse populos. Qualis ergo illa. sit necesse est, ut hominum felicitati inserviat?
- Th. II.* Natura liber est quisque homo, i. e. competit ei natura jus viribus suis perfectionibusque utendi. In multis civitatibus jus illud valde circumferibitur, unde dominatus denique existit; quo magis vero hoc unicuique conceditur, tanto magis civitas libertate gaudet.
- Th. III.* Primo autem ratione tantum adjuvante ad quasdam perfectiones pervenire possumus. Nam illa recte excultus libertate recte utitur, i. e. nulli rei vires suas et perfectiones impendit, nisi quae rationi consentanea est. Quae ut probe excolatur, civitas igitur curare debet.
- Th. IV.* Ratione enim ducta libertas non degenerabit in malam licentiam, nec erit effrenata, quae maxime civitati perniciosa est; cujus rei nunc Francogalli magnum documentum sunt.

Th. V. In civitate porro, cui notiones de rebus bonis malisque rectae non sunt, neque civium actiones religiosi sensibus ducuntur, vera libertas esse non potest.

Th. VI. Ergo libertas sine religione sibi repugnat. Religione contra fundata libertas felicitatem adfert et auget. Nam quo rectiores de religione in civitate sunt notiones, eo melius cives libertate utentur.

Th. VII. Cuique homini natura sunt jura. Ubi autem haec sunt, ibi etiam officia sunt necesse est, et officia leges postulant. Cum autem libertas jura et officia exaequet, nec legibus vacua esse, nec sine his consistere potest. Leges servare vera libertas est.

Th. VIII. Leges ipsae vero ne libertatem, lege naturae hominibus concessam, illis eripiant, sed eam potius stabiliant et confirment, ad solam hominum naturam fingi eorumque felicitatem unice spectare debent.

Th. IX. Hae denique ut ferventur, hominibus opus est, qui eas tueantur. At ut hoc recte fieri possit, hi plus auctoritatis quam ceteri habere debent. Ergo hac jam ex ratione ordinum diversitas et libertas simul in civitate esse possunt et debent, et libertas eo non circumscribitur.

Th. X. Libertas itaque, ratione ducta, religione fundata et legibus constituta homines felices reddere potest.

DISPUTATIO VI.

D. XVI. NOVEMB. MDCCXCIII.

H A B E N D A.

Resp. BROCKMEYER. Opp. SCHEELE I. SCHEELE II.

An victoriis reportatis Deo recte
gratias agamus?

Th. I. Multis veteribus jam, iisque magis minusve exultis populis, solenne erat, hostibus victis, supplicationes publice celebrare, quæ pro eorum notionibus moribusque diversa erant.

Th. II. Atque hunc morem, ut mihi quidem videtur, naturæ plane convenientem, etiam populi christiani conservarunt, & ut Deo victoria reportata, aut aliud de hostibus commodum consecuti, publice ac junctim Deo gratias agerent, instituerunt.

Th. III. Hæ vero supplicationes religiosæ ac publicæ, ut omnia, suas etiam invenere adversarios, & sepiissime vituperatæ ac reprehensæ sunt.

Th. IV. Illud nempe maxime crimini illis est datum: Religioni christianæ, quæ amorem, misericordiam, indulgentiam, tolerantiam, humanitatem commendet, & conditoris vitæ & consiliis plane repugnare, pro cædibus hostium, agrorumque vastatione Deo grates agere, & ex

cædibus aliorum hominum & calamitatibus gaudium percipere.

Th. V. At vero hujus lætitiæ finis minime est, pro strage multorum hostium, pro agrorum vastatione, & pro belli horroribus, Deo gratias agere benignissimo. Tum enim supplicationem talem jure vituperio dignam censerem.

Th. VI. Sed Deo agimus gratias, quod tam benigne cædem a nobis nostrisque propulsavit, quod illos nobis conservavit, quod ab agris nostris belli vastationes depulit, quid multa? quod summa ab illo beneficia retulimus.

Th. VII. An vero cuiquam vitio verti potest, cum bella ipsa haud sint evitanda, quod salus suorum patriæque suæ ipsi maxime cordi est?

Th. VIII. Quod quidem inde etiam tanto magis patet, quod non ex numero hostium cæsorum, aut pro clade ab inimicis accepta, sed ex commodis tantum, quæ in nos inde redundant, causam occasionemque solennis lætitiæ metiri solemus.

Th. IX. Cum autem nostrum sit, Deo pro benignitate, quam tali occasione tam perspicue nobis præbuit, gratias agere, quo modo hoc fieri posset aptius, solennius, &, ut mihi videtur, naturæ convenientius, quam si publice gratias illi agimus, ejus benignitatem celebramus, & illius laudem prædicamus? ut adeo necessaria fere mihi videantur ejusmodi solennia.

Th. X. Utrum igitur melius erit, supplicationes hæc abrogare, an retinere?

DISPUTATIO VII.

D. XXIII, NOVEMB MDCCXCIII

H A B E N D A.

Resp. HEYER I. Opp. FISCHER. HECHT I.

Utrum anni scholastici an academici
præferendi sint.

Th. I. **E**t anni scholastici & academici nobis utilitatem maximam præstant, si eos bene impendimus, iisque ex officio boni juvenis utimur: quinam tamen præferendi sint, quæritur.

Th. II. Vita academica hac re præfere mihi videtur, quod tum fere nobis plus notitiarum est, quam in scholis, quibus scholam frequentamus, & quod in academia ipsa istas nobis notitias comparamus, quibus vitam beatiorem in posterum præcipue debemus.

Th. III. Etiam hac de re anni academici maximi pretii mihi esse videntur, quod his in annis amplio-rem, quam in scholis, cognitionem hominum colligere nobis possumus, plures enim homines diversarum nationum & regionum cognoscimus, magis quam in scholis nos accommodare ad homines discimus.

Th. IV. Magni etiam anni academici momenti sunt, quod juvenes hic præfertim pecunia uti & rem

familiarem curare discunt, atque, si volunt, hic magis quam in scholis parsimoniam exercere & res suas secum disponere coguntur.

Th. V. Quantam vero academici, tantam habent etiam anni scholastici utilitatem; his enim in annis fundamenta fortunæ nostræ jacimus, quibus neglectis, nihil nec in academia, nec in universa vita postera superstruere poterimus.

Th. VI. In annis scholasticis linguas nonnullas & litterarum partes excolimus, quæ in academia raro aut nunquam occurrunt, & quæ tamen maxime necessarie sunt.

Th. VII. His primis annis fundamenta virtutis & omnis honestatis, quæ nos in vita postera felices reddunt, jacimus, nam qui in juventute sibi certa præcepta & firmam constituit, etiam semper tenebit.

Th. VIII. Juvēnis scholasticus magis adhuc ab annis remotus est, ubi res suas curare cuilibet sit necessarium; plerumque enim habet suos parentes, qui ipsius curam gerunt: idem rarius est in academicis, jam natu majoribus.

Th. IX. Quid igitur? Scholastici academicis, an academici anni scholasticis præferendi videntur? Ego fateor, me ipsum dubitare, semperque diversas opiniones, quinam meliores sint, inter homines futuras existimo.

DISPUTATIO VIII.

D. XXX. NOV. MDCCXCIII.

HABENDA.

Resp. BÜHRING. OPP. RÖMER. ZIEMANN.

Qui perfectus, quantum fieri potest, Theologus esse vult, hebrææ et græcæ linguæ peritus sit necesse est.

Th. I. Theologia a religione differt. Religio cognitione Dei consistit modoque Deum colendi, cuiquæ ex illa cognitione sequitur. — Theologia & theoreticæ & practicæ, quas continet religio, empiricæ in disciplinæ & systematis formam redigit; præcepta singula melius disponit, subtilius omnia inquiri & præcipue ad fontes & principia cognoscendi reducit.

Th. II. Munus igitur est theologi præcepta religionis ordinare diligentius perscrutari & præsertim, fontes cognoscere.

Th. III. Fontes, a quibus systema nostræ religionis haustum est, sunt sacre literæ, quæ in Vetus & Novum Testamentum dividuntur: illud hebræicæ, hoc vero græcæ scriptum.

Th. IV. Ad librum unumquemque recte intelligendum peritia istius linguæ, qua scriptus est requiritur, ad intelligendum V. & N. T. ergo peritia linguæ hebræicæ & græcæ postulatur. Theologus vero hos fontes nostræ religionis optime cognoscere debet: ergo con-

tendo, hunc etiam linguam hebraicam et græcam tenere oportere. Addam rationes meas.

Th. V. Qui est utriusque hujus linguæ peritus, proprietates illarum melius cognoscet, et ex earum cognitione multa rectius explicabit.

Th. VI. Porro et locos universos et singula verba melius interpretabitur et ex recta interpretatione veras de rebus illustratis notiones accipiet.

Th. VII. Coniunctionem multos inter locos V. et N. T. accuratius intelliget; quod in rebus ipsis declarandis valde prodest.

Th. VIII. Qua voluptate peritus harum linguarum, præcipue græcæ, fruitur in legendis operibus græce scriptis, et quam oblectationem etiam pleraque capita sacrarum litterarum has linguas tenenti adferunt!

Th. IX. Si omnes, qui se ad studium theologiæ conferunt, peritiam harum linguarum sibi non necessariam putarent, eamque ob causam istis linguis non studerent: sane nemo est, quin videat, omnem hanc denique scientiam magnamque cum illa solidæ eruditionis apud posteros nostris partem extincturum iri.

Th. X. Non quia vulgo postulatur, theologus futurus hebraicam et græcam linguam discere debet, sed quia a viris talibus requiritur, qui utilitatem harum rerum omnium satis perspexerunt.

Th. XI. At erunt, qui mihi opponant, versiones ex illis linguis factas peritiam harum ipsarum compensare, quod vero nego; nam *versiones* theologo adiumenta tantum sunt, & esse debent ad fontes religionis melius intelligendos; quibus ipsis adiuvantibus nihilominus multa tamen restabunt, quæ non satis perspiciet, vel utriusque linguæ peritus. Ne illud addam, versionum tantum jam esse numerum, ut multo minori præcio idem consequi possit, qui fontes ipsos adire didicit.

DISPUTATIO IX.

D. VII. DEC. MDCCXCIII.

H A B E N D A.

Resp. BRAUNSCHWEIG. Opp. HEINEKE. FAHRENHOLZ.

Philosophiam Poësi esse præferendam.

Th. I. **E**x multis, quæ ad hoc thema probandum valent, pauca, quæ mihi præcipua videntur, excerptam, cum disputatiunculæ angustiis circumscripto plura dicere mihi non liceant.

Th. II. Poësis vim habet inprimis in sensus nostros et in facultatem imaginandi, et, quæ hanc facultatem movere possunt, continet. Neque vero rationi locus est verum satis acute investigandi, sensibus et imaginandi facultate nimis commotis.

Th. III. Inde Poësis varios animi motus etiam excitat, omnia augendo et amplificando. Animi motus autem veri studio pariter haud favent.

Th. IV. Fictis porro adeo rebus planeque non existentibus utitur; quo efficitur, ut notiones vanæ, quibus nil in rerum natura respondeat, animo nostro inferantur.

Th. V. Poëmata denique legentes quasi ad cælum tollimur; jam vero paululum elati in terram referamur necesse est, cum fieri pene non possit, ut sensus poetæ diu persequi valeamus.

Th. VI. Hæc omnia, veri studio, quod unice nobis propositum esse debet, contraria; postremum etiam injucundum est.

Th. VII. Philosophia contra animum tranquillum nulla ratione perturbât; tranquillitas animi autem ad verum cognoscendum maxime requiritur.

Th. VIII. Eadem deinde non de rebus fictis, sed de veris meditatatur, quæ existunt et rerum naturæ insunt.

Th. IX. Contemplatur porro omnia ab omnibus partibus. Ex quo quidem summa voluptas nascitur. Haud minus vero etiam eo efficitur, quod

Th. X. Lector libri philosophici philosophum meditantem multo facilius sequitur, quam poëtam in regiones superas sese efferentem.

Th. XI. Denique voluptatem ex poësi et facultate imaginandi natam multo facilius animus excutiet, quam eam, quæ tranquilla ratione adhibita nascitur; eamque ipsam ob causam tanto altiores agit radices. Illa facile modum excedit, hæc moderata est, et moderata durât.

DISPUTATIO X.

D. XIV. DEC. MDCCXCIII.

H A B E N D A.

Resp. HOPPE. Opp. LENTZ I. BROCKMEYER.

Quatenus dici possit,
poenas improborum æternas futuras.

Th. I. **M**otiones actionesque liberae, legi divinæ
haud consentaneæ, peccata dicuntur.

Th. II. Peccatum est aliquid imperfecti: imperfectum
autem, cum per se est malum, tum mala ex illo
consequuntur.

Th. III. Nemini igitur vel injustum vel dubium vi-
deri potest, quin impii poenas luant; nam illud
& res ipsa vult, & justitia divina postulat, &
sacra litteræ docent.

Th. IV. Jam vero sunt, qui hasce pœnas, sine omni
spe aut facultate emendationis aut diminutionis;
sempiternas statuunt, & amplificationem illarum
tantum admittant. Quod cur repugnare mihi
videatur, paucis exponam.

Th. V. Et primum quidem attributis divinis, deinde
naturæ animi humani repugnare videtur.

Th. VI. Justitia enim divina postulat, ut effectus
cum causis exæquentur, externaque conditio
subjecti ad internam disponatur: infinitæ au-

tem poenæ cum actionibus finitis haud congruunt.

Th. VII. Benignitas deinde Dei actuosum illius est studium, omnia ad felicitatem rerum creatarum augendam conferendi, impedimenta autem illius removendi.

Th. VIII. Per sapientiam suam denique absolutissime Deus intelligit hujus felicitatis rationem, & quæ ad illam conducant, judicio minime fallaci cognoscit. Quæ cum ita sint, Deus minime potest citra consilium salutare malis persequi improbos.

Th. IX. At vero in infinitum peccabunt. Quod quomodo judicandum sit, ex natura animi humani apparet. Non enim nisi ratione sublata liberum arbitrium, nec nisi libero arbitrio sublato facultas inter bona & mala eligendi tolli potest. Jam vero aut ratio improbis relinquatur, aut non. Si relinquatur, relinquatur etiam facultas meliora intelligendi, & ex intellectis agendi. Si non relinquatur, & tamen peccare pergunt, necessario peccant, & injustum foret, necessitate prius coactos, eosdem deinde punire.

Th. X. Eatenus tamen recte dici potest, poenas esse sempiternas, quod eorum, qui mali aliquando fuerunt, conditio in sempiternum tamen necessario deterior futura est, quam si semper boni fuissent. Multo melius autem est, a malis plane sibi cavere, quam eorum diminutionem sperare.

DISPUTATIO XI.

D. XXI. DEC. MDCCXCIII.

H A B E N D A.

Resp. NETTMANN, Opp. HEYER I. BÜHRING.

Diligentiam etiam esse posse nimiam.

- Th. I.* Si quis amore litterarum ducitur, & corpori & animo consulat necesse est.
- Th. II.* In utraque autem cura & nimium et parum fieri potest. Corpus enim & negligendo & molliter nimis tractando, pariter autem animus & nihil agendo & nimia contentione corrumpitur.
- Th. III.* Qui animo consulere vult, tempore recte uti, animumque omni scientia omnibusque literis instruere debet, quibus ad illum excolendum felicitatemque consequendam opus est.
- Th. IV.* Corporis autem veram curam habet is, qui sanum conservare studet, omnibus modis non solum roborat & confirmat, sed ad omnes etiam, quos conditio ipsius postulat, labores habile & idoneum reddit.
- Th. V.* Jam qui nimius est in diligentia optimis etiam studiis adhibenda, corporis primum culturam, motionem & elegantiam facile negliget.
- Th. VI.* Deinde sedendo nimium & corpore incurvando & comprimendo, vario modo illud cor-

rumpet, malaque multa aut in praesentiam sibi
contrahet aut in futurum certe preparabit.

Th. VII. Idem vero & animo simul nocebit; cum
enim animus corpori ita cohareat, ut, labo-
rante hoc, etiam ille perturbetur & opprimatur,
nimia diligentia, imprudenter adhibita, efficiet,
ut vires paulo post laboribus continuandis haud
sufficiant.

Th. VIII. Quo et illud accedit, quod, qui nimium
multa avide colligit et quasi devorat, plerum-
que non satis eadem concoquit et digerit. Cu-
jus generis homines multa saepe sciunt et pro-
eruditus habentur, sed nil recte sciunt, omnia
confundunt, et iudicio rerumque usu infirmi-
ores et ineptiores sunt.

Th. IX. Quae quidem omnia non eo valent, ut ne-
gligentiam aliquis diligentiae praefereendam exi-
stimet, sed ut Horatianum illud teneat:

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,

Quos ultra citraque nequit consistere rectum;
neque naturae ipsi repugnet, quae omnibus in
rebus optime docet,

— quid valeant humeri, quid ferre recusant.

Th. X. Cum itaque fieri possit, ut et negligentia
et contentione diligentiaque nimia perire pos-
simus: utrumque vitium pariter fugiendum,
et corpus cum animo, i. e. totus homo et in-
teger ad vitam bene beateque transigendam ex-
colendus est.

Th. XI. Quae quidem omnia non eo valent, ut negligentiam aliquis diligentiae praefereendam existimet, sed ut Horatianum illud teneat: Est modus in rebus, sunt certi denique fines, Quos ultra citraque nequit consistere rectum; neque naturae ipsi repugnet, quae omnibus in rebus optime docet, — quid valeant humeri, quid ferre recusant.

DISPUTATIO XII.

D. XI. JAN. MDCCXCIV.

H A B E N D A.

Resp. ALSTEIN. Opp. BRAUNSCHWEIG. HOPPE.

Studium conditionis perficiendae
summum homini esse agendi principium.

Th. I. Alii summum nostrum agendi principium in
conservatione nostrimet ipsorum, alii in acti-
one ipsa collocant: mihi autem in studio con-
ditionis nostrae perpetuo perficiendae videtur
esse positum.

Th. II. Si hominem, quatenus inter animalia refe-
rendus est, consideramus, cibum sibi parat
eoque fruitur, locum, ubi degat, commodum
quaerit &c.; quae quidem omnia sive ad vo-
luptatem aliquam sensuum spectant, sive ut li-
beremur a doloribus, id est, conditionem quaerimus
bonam et jucundam.

Th. III. Quatenus autem homo ratione prae-
ditus est, haud aliter bene ipsi erit, quam augenda no-
tionum copia augendisque viribus, quibus illa
copia utatur; i. e. conditionem semper quaerit
pristina meliorem et jucundio-rem, sive, illam
perpetuo studet perficere.

Th. IV. Atque intimus ille ipse sensus, cur aliquid
aut cupiamus, aut abhorreamus, unde existit,

nisi quod aliquid credimus bona nostra aut amplificaturum aut deminuturum?

Th. V. Summum igitur agendi principium non in eo tantum inest, ut nobis bene esse, sed ut semper melius esse cupiamus. Quamobrem nec aliud Dei, quo hominem creaverit, consilium fingi potest, quam ut in meliorem semper conditionem evehat.

Th. VI. Quod quam verum sit, experientia æque ac historia demonstrat: ipsa enim illa hominum multis in rebus infatiabilitas, perpetuumque rerum novandarum atque immutandarum studium, idem probant.

Th. VII. Conditionis autem perficiendæ illa cupiditas non universæ modo hominum naturæ reliquisque illius virtutibus convenit, sed ad omnēs etiam vitæ communis actiones est necessaria.

Th. VIII. Summum autem illud esse in homine agendi principium, quo a reliquis animantibus differat, vel ex eo apparet, quod animanti cuivis unum tantum inesse potest summum hujusmodi principium; quod nisi esset, sed perpetuo variaret, unos eosdemque nos esse, haud conscire nobis possemus.

Th. IX. Denique et inde maxime intelligitur, quod ex hoc uno omnia reliqua derivari eodemque referri possunt, ex quo genere est conservatio nostri ipsorum, sociabilitas, &c.

DISPUTATIO XIII.

D. XVIII. JAN. MDCCXCIV.

H A B E N D A.

Resp. ULLRICH. Opp. NETTMANN. ALSTEIN.

Lectionem librorum hominibus omnium
ordinum esse utilem.

Th. I. Nullius ordinis homines sunt, qui nostro tempore libros legere non soleant; idque alii utile, alii noxium judicant. Mihi vero videtur utilissimum.

Th. II. Adhibeatur modo cautio, si quis legendis libris perfectiorem reddere se cupit, ut libros, ex quibus utilitatem nullam haurire potest, removeat.

Th. III. His enim legendis tantum abest, ut perfectior fiat, ut judicium, animus, mores illius potius corrumpantur.

Th. IV. Ex libris bonis autem meliorem cognitionem naturæ, et universæ, et imprimis humanæ nobis comparamus.

Th. V. Ex iisdem linguarum cognitionem haurimus, imprimis vernaculæ, qua fatis exulta nemo carere potest.

Th. VI. Omne porro litterarum, doctrinarum, artium genus, Theologiam, Physicam, Historiam, Geographiam &c. illis adjuvantibus excolimus.

Th. VII. Hisce studiis a barbarie revocamur, mores hominum emolliuntur, et ad omnem humanitatem urbanitatemque componuntur.

Th. VIII. Id autem inprimis libris bonis legendis effici, vel ex eo apparet, quod omnes illi populi, qui hisce maxime abundarunt, iidem et cultissimi humanissimique omnibus fuerunt temporibus.

Th. IX. Nullus autem ordo est hominum, qui cultura ingenii morumque haud egeat, nam rustici, ut boni rustici sint, non minus animo exulto esse debent, quam principes, ut boni principes sint.

Th. X. Ex quibus omnibus jure mihi concludere posse videor, necesse esse, ut hæc cultura humanitatisque via omnibus hominibus pateat, omniumque ordinum homines bonis libris legendis doceantur atque emendentur.

DISPUTATIO XIV.

D. XXV. JAN. MDCCXCIV.

H A B E N D A.

Resp. BEKHRS. Opp. ULLRICH. DÖRGE.

Civitas, ubi libertas et æqualitas Gallica
locum habent, pereat necesse est.

- Th. I.* Quæque civitas, si cives vera libertate gaudent, h. e. si jus, quod illis natura tribuit, viribus suis perfectionibusque utendi, conceditur, felix esse potest. Duplici autem via ab hac libertate vera declinari potest; quo civitas infelix redditur.
- Th. II.* Primo enim, si hocce jus in civitate nimium circumscribitur, dominatus impotens existit, qui civium animos ad rebellandum & resistendum incitat.
- Th. III.* Contra vero, si nimis indulgendo vagatur et ratione non ducitur, hæc bona libertas in licentiam malam et effrenatam civitati perniciosissimam degenerat.
- Th. IV.* Si huic licentiæ malæ addamus præterea omnium ordinum æqualitatem, nemo civium leges et instituta servabit.
- Th. V.* Leges autem civitas non solum habere debet, sed cives etiam eas servare obstricti sunt. Nam

jura cuique sunt, ideoque etiam officia; quæ ubi sunt, postulantur leges; sine legibus autem civitas constare nequit.

Th. VI. Hæ leges vero servandæ & tuendæ sunt. Quas qui tuentur, plus auctoritatis quam cæteri habeant necesse est. Huic autem omnium ordinum æqualitas repugnat.

Th. VII. Quod quidem ipsa rerum natura duce discimus; videmus enim providentiam divinam omnia sapienter ita ordinasse, ut nihil sibi plane simile sit & æquale, generumque omnium & imprimis hominum ipsorum, qui terram hanc colunt, maxima dissimilitudo & varietas sit formæ externæ, animi, cupiditatum &c.; quamobrem ii jam peccant, qui omnem ordinum distinctionem sustulerunt & omnes omnino æquales esse voluerunt.

Th. VIII. Hæc æqualitas & libertas francogallica civitatem infelicem reddit & miseram. Inde artium bonarum & agriculturæ neglectus, cædes crudelissimæ, bella civilia & externa, oppressiones oriuntur & fuga.

DISPUTATIO XV.

D. I. FEBR. MDCCXCIV.

H A B E N D A.

Resp. DÖRGE. Opp. BEKUHRS. HERTEL.

Quænam actio nobilis vel generosa dici mereatur, & ubi hujus generis actiones maxime reperiantur.

Th. I. Sæpius aliquam nominamus actionem generosam, quæ, si diligentius inquirimus, hoc minime digna est nomine.

Th. II. Si e. g. dives ex multis millibus mille etiam thaleros daret pauperibus, actionem nominare non possum generosam: nam adhuc opibus abundans, cupiditatibus, quantum vult, potest satisfacere.

Th. III. Quænam igitur sit actio generosa, & quibus signis constet, recte definiamus necesse est.

Th. IV. Vere nobilis & generosa actio tantum est illa, quam, etiamsi ipsi jacturam faceremus, tamen peragimus, in qua maximis resistimus tentationibus, ubi cupiditates virtus nostra vincit.

Th. V. Ea igitur ex hoc genere erit, in qua perficienda e. g. Deo magis quam hominibus obedire, omnibusque nos exponere periculis,

quam lædere officia, nostræ salutem præponere communem, & egere potius ipsi quam pati, ut alii pereant, malumus.

Th. VI. In quo autem hominum ordine hæc sapiissime obveniunt actiones?

Th. VII. Populum totum in tres divido classes. In prima pono nobiles & civium primos, in secunda ceteros cives & humilioris ordinis primos, in tertia denique plebem proprie sic dictam.

Th. VIII. Hac distributione facta, in secundo ordine me contendere posse credo ad talia facta aptos inveniri plurimos.

Th. IX. 1.) Hic enim primo maxima ex parte educatione meliori gaudet;

Th. X. II.) Deinde neque nimia abundantia remotaque ab hominum miseria vita ad verum de rebus humanis iudicium hebecit, nec nimia inopia sensus rerum honestarum & laudabilium opprimitur.

DISPUTATIO XVI,
D. VIII. FEBR. MDCCXCIV.
H A B E N D A.

Resp. HERTEL. Opp. SCHEELE I. SCHEELE II.

Magnæ fore utilitatis,
si leges in scholis exponerentur.

- Th. I.* **U**nusquisque civis leges civitatis suæ observare debet.
- Th. II.* Quodsi autem eas observare debet, cognitionem earum habeat necesse est.
- Th. III.* Non autem quisque occasionem habet legum cognitionis sibi comparandæ.
- Th. IV.* Itaque maximæ esset utilitatis, si unicuique occasio hujus cognitionis sibi comparandæ offerretur, legesque publice exponerentur.
- Th. V.* Id optime in scholis fieri posse mihi videtur.
- Th. VI.* Cum enim adolescentes omnium ordinum scholas frequentent, notitia legum, etiam ad omnes ordines pervenire possent.
- Th. VII.* Plerique homines inferiorum ordinum solent unicum juventutis tempus institutioni suæ impendere, postea autem tempore & occasione discendi carent; itaque etiam optime illo tem-

pore, quo scholam frequentant, cognitionem legum sibi comparare possent.

Th. VIII. Melius autem horum ordinum hominibus foret, si quod illis de legibus scitu necessarium est, certo consilio & ordine discerent, quam quod casu plerumque fragmenta singula, quæ nusquam coherent, arripiunt.

Th. IX. Si leges in scholis exponerentur, id etiam futuro jurisconsulto magnæ foret utilitati; comparata enim in scholis elementari legum cognitione, facilius in academia studium jurisprudentiæ amplecti posset.

Th. X. His de causis magnæ utilitatis fore mihi videtur, si leges in scholis exponerentur.

DISPUTATIO XVII.

D. XV. FEBR. MDCCXCIV.

H A B E N D A.

Resp. SCHEELE. I. Opp. HECHT. I. RÖMER.

De praestantia nostræ hodiernæ doctrinæ morum præ ethica antiquorum philosophorum.

Th. I. **H**odierna nostra doctrina morum, sub qua simul decreta theologiæ naturalis ac juris naturæ intelligimus, doctrinæ antiquorum philosophorum græcorum ac romanorum ethicæ anteponenda est.

Th. II. Notiones antiquorum philosophorum de Deo imperfectæ et obscuræ erant, aliis multos Deos, aliis nullum Deum credentibus. Quamobrem nulla fere argumenta ex cognitione Dei desumpta illorum in disciplina morum reperiuntur.

Th. III. Plurimi antiquorum philosophorum, ut ex Ciceronis de natura Deorum libris discimus, sibi ipsis fingebant Deum ipsique virtutes, vitia et cupiditates tribuebant, quas educatio ac ingenium illorum maxime probabant.

Th. IV. Prudentissimi illorum etiam incertas de immortalitate habebant notitias, opinabantur tan-

tum ac optabant illam. Quid itaque certi de futura compensatione ac pœnis futuris ad incitamentum virtutis proferre poterant?

Th. V. Alii ebrietatem non adeo magnum vitium existimabant, odium ac vindicta inter virtutes sæpe habebatur, quod etiam a prudentissimis, Cicerone e. g., fieri videmus.

Th. VI. Doctrina morum antiquorum nullam viam satis tutam monstrat, qua varia mala et adversitates hujus vitæ perferre valeamus.

Th. VII. Hodierna nostra doctrina morum his vitiis caret, dignas sublimesque notiones de Deo habet, rectaque de amore hominum, et de circumscriptioe moderationeque cupiditatum nostrarum, nobis praecepta suppeditat.

DISPUTATIO XVIII.

D. XXII, FEBR, MDCCXCIV.

H A B E N D A.

Resp. SCHEELE. II. Opp. ZIEMANN. HEINEKE.

Vitam rusticam urbanæ, magnis præcipue in urbibus, esse anteponendam.

- Th. I.* Multi fuere atque adhuc sunt, qui vitam urbanam vitæ rusticæ anteponendam esse putent, qui mihi multis quidem in rebus recte judicare videntur.
- Th. II.* Re tamen ex altera parte bene perspecta, videbimus haud exiguum eorum etiam esse numerum, qui in agro viventes felicissimos omnium mortalium se credant, ac forte in urbem venientes, tumultus hujus infueti, in agrum redeundi desiderio capiantur maximo.
- Th. III.* In magnis urbibus magnum numerum hominum sceleratorum et corruptorum inveniemus, qui in agris non tantus est.
- Th. IV.* Inde oriuntur facinora ac scelera, in urbibus magnis sæpius, quam in agris committi solita. Lutetia, Holmia, Londinum exemplo sunt.
- Th. V.* Rure vita liberiori, quam in urbibus magnis, fruimur ac gaudemus.

Th. VI. Rure nobis melior occasio ambulandi rerumque naturam contemplandi offertur.

Th. VI. In agris aër salubrior ac valetudini nostrae magis aptus nos circumdat.

Th. VIII. Inde etiam sequitur, homines multos in urbibus magnis aegro esse et infirmo corpore, agricolas contra saniores plerumque et robustiores ad feliciter pervenire senectutem.

[Faint, illegible text]

[Faint, illegible text]

[Faint, illegible text]

[Faint, illegible text]

[Faint, illegible text]

DISPUTATIO XIX.

D. III. (I. I.) MART. MDCCXCIV.

H A B E N D A.

Resp. HECHT. I. Opp. FAHRENHOLZ. LENTZ I.

Rectam cognitionem veri inter populum esse divulgandam.

Th. I. **M**ulti quidem inter se dissident, an recta veri cognitio omnis generis omniumque ordinum hominibus utilis, interque populum etiam divulganda sit. Tamen

Th. II. Illa veri cognitio, quæ nostris temporibus magis magisque per omnes ubique hominum ordines florere incipit, in iis, quæ nostrum seculum super pristina extollunt, sane non ultimum occupat locum.

Th. III. Magna pars litis autem, quæ nuper hac de re per Germaniam fuit, mihi in verbis germanicis, impropriis illis quidem et ambiguis, (e. g. Aufklärung, Klugwerden, aliisque) inesse videtur; quibus definitis et præcipua litis causa tollitur.

Th. IV. Sita est autem cognitio veri in rectis atque veris notionibus, iis maxime de rebus, quæ ad nos felices reddendos pertinent, atque in ratione ad hanc ipsam cognitionem excolenda atque exercenda.

Th. V. Sic animus excolitur, majorem perspicuitatem atque ordinem cogitando acquirens: quo efficitur, ut quae pro veris sunt agnita, melius etiam exponantur; quem ad finem etiam ingenio imprimis opus est excolio.

Th. VI. Quis autem est, qui illam veri cognitionem, quae excolendo ingenio, augendaque felicitate et perfectione se exerit, minime inter populam esse divulgandam putet?

Th. VII. Eo magis contra huic ipsi necessaria est, quo plus superstitionis est extirpandum, quae illud hominum genus quam saepissime est obstrictum.

Th. VIII. Eadem porro veri cognitione, cum animum excolendo et mores emolliat, neque finat eos esse feros, eo magis ad communem societatis humanae felicitatem augendam et populam aptior fit.

Th. IX. Nequaquam autem illis assentiendum, qui populam veri cognitione ad tumultus excitandos propensiores futurum metuunt. Melius potius honesta et utilia cognoscent, et, si opus est, publicae privatam utilitatem postponent.

Th. X. Ad veri cognitionem illam magis magisque divulgandam bona juventutis institutio et educatio praecipua est via.

DISPUTATIO XX.

D. VIII, MART. MDCCXCIV.

H A B E N D A,

Resp. RÖMER. Opp. BROCKMEYER. HEYER I.

Instinctum, quem vocamus, cum libertate pugnare, ideoque hominibus non posse tribui.

Th. I. Omnibus animalibus, quæ in terra conspiciamus, aliquid natura attributum inest, ut vitæ conservandæ, stirpi propagandæ, victui aliisque ad vitam necessariis rebus comparandis, minime ex arbitrio, sed necessaria quadam naturæ lege, curam adhibeant; quem recentiores quidem philosophi instinctum vocarunt.

Th. II. Sed hunc instinctum non omnibus animalibus pari modo distributum invenimus.

Th. III. In nonnullis etenim major, in aliis minor apparet. In apibus, ut hoc utar, majorem conspiciamus, quam in equis.

Th. IV. Subtilioribus igitur quæstionibus institutis, hæc in natura apparet lex: pro portione quadam instinctum distributum esse, ita ut animal minus perfectum illo magis abundet, perfectius magis eodem egeat.

Th. V. Equus itaque, cui sine dubio, sive corporis sive animi vires spectemus, præ apibus princi-

patum concedere debemus, etiam illa vi instinctus carere poterat, qua apes, quæ instinctu privata vitam haud conservatura esset, abundare debebat.

Th. VI. Homo jam vero, omnium animalium virtute et corporis et animi præstantissimum, eam ipsam ob causam instinctu aut omnino, aut magna certe ex parte carere poterat, quo alia animalia imbuta sunt.

Th. VII. Si quis igitur homini plus instinctus tribueret, quam a natura attributum illi est, eundem ad bruta animalia dejiceret, i. e. ratione aut libertate illum privaret.

Th. VIII. Ex illa enim commemorata lege naturæ sequitur: homini, omnium animalium perfectissimo, eam ipsam ob animi corporisque virtutem nullam aut exiguam certe instinctus partem a natura in vitam esse; et hæc animi virtus in ratione aut libertate hominis est posita.

Th. IX. His rationibus sane me concludere licet, aut nullum, aut exiguum certe instinctum homini tribui posse, nisi libertatem simul illi negare velimus.

DISPUTATIO XXI.

D. XV. MART. MDCCXCIV.

H A B E N D A.

Resp. ZIEMANN. Opp. BÜHRING. BRAUNSCHWEIG.

Non auctoritatem hominum, sed vim
argumentorum in religione esse
sequendam.

Th. I. Errare humanum est. Hoc principium nostre disputationis constituendum videtur.

Th. II. Isto enim præcepto, quod diuturna nobis experientia probat, posito, sequitur, quæcunque ab hominibus dicta et scripta sint, iis omnibus vanas opiniones inesse posse.

Th. III. In quacunque autem scientia nostrum est, semper ad perfectionem, quantum potest fieri, propius accedere; quod homini temere omnia credenti nunquam continget, quia errores sibi traditos sequitur, neque eorum loco melius quidquam rectiusve substituere laborat.

Th. IV. Præcipue autem in religione quemque hominem decet, quæ alii et affirmarunt et negarunt, examinare, inquirere, cognoscere, et prout vera aut falsa reperit, probare aut rejicere.

Th. V. Quod qua de causa hic præsertim faciendum putem, in illo situm est, quod ista scientia ma-

xime ad felicitatem nostram attinet, atque propterea errores, quibus hac in re animus imbuitur, tantum saluti nostræ detrimentum afferunt.

Th. VI. Media ætas igitur merito castigatur, quæ aut singulis hominibus, aut conciliis, i. e. mortalibus, qui falli poterant, immunitatem ab errore et plenam de veris falsisque iudicandi potestatem tribuebat.

Th. VII. Nostri ævi maxima in ea re virtus consistere mihi videtur, quod impune et libere omnia, quæ religionem spectant, inquirere nobis licet.

Th. VIII. Quot quantaque bona autem illa ex libertate hominum generi exstiterint, minime obscurum est. Plurimæ enim, ut in reformatione, quæ dicitur, maxime apparuit, vanæ opiniones detectæ sunt, et quæ restant, sensim sensimque tollentur.

Th. IX. Eorum virorum etiam, quos vera quæque nobis tradere et potuisse et voluisse constat, i. e. scriptorum sacrorum etiam dicta, ex illorum ipsorum præcepto, examinanda nobis existimo.

Th. X. Minime quidem, quod errores in illorum sententiis lateræ possint, sed quod eas disquirendo mens nostra perficitur iudiciumque acuitur, et quod illa, quæ rationibus plane perspectis nobis persuasimus, majorem, quam quæ non nisi credimus, ad animum movendum atque incitandum vim habent.

DISPUTATIO XXII.

D. XXII. MART. MDCCXCIV.

H A B E N D A.

Resp. LENTZ I. Opp. HOPPE. ALSTEIN.

Linguam cum ingenio, moribus et cultu
populi pari passu incedere.

Th. I. **F**acultatem verbis exprimendi sensus nostros,
linguam vocamus.

Th. II. Quæ tamen facultas non homini solitario,
sed sociabili est necessaria; nam quo plures
sunt homines, eo plus est rerum necessariarum,
et quo major harum, eo major est vocabulorum
copia.

Th. III. Verba ex necessariis rebus oriuntur; quæ ita-
que populo sunt maxime necessaria, ea etiam vo-
cabulorum copia abundabunt.

Th. IV. In lingua gallica multa sunt verba, levita-
tem, stultitiam &c. significantia, unde animus
nationi gallicæ proprius satis apparet; lingua
Germaniæ inferioris plus quam sexaginta habet
verba, quæ notionem verberandi exprimunt, ex
quo, etsi rudior, tamen virtus germanica patet.

Th. V. Animus populi si lenis et mitis est, aut as-
per et crudelis, lingua quoque mollis aut dura
fit necesse est.

Th. VI. Nam omnis animi motus, et omnis nationis proprietas linguæ naturam suam inferit, et hæc multiplici usu illa omnia assumit.

Th. VII. Itaque exculti populi lingua semper exculta est, et magnam habet vocabulorum copiam, et ad omnem subtilitatem, suavitatem, acumen, gravitatem, perspicuitatem orationis et sententiarum apta est.

Th. VIII. Minus e contrario exculti populi lingua egestate verborum premitur, dura et aspera est, cultuique illius similis.

Th. IX. Lingua enim cum animi cultu arctissime est conjuncta, et unius perfectio etiam alterius est.

Th. X. Atque adeo si lingua minus exculti populi abundat verbis, hoc paucis primum in rebus continget, deinde nil tamen illa habebit verborum copia, nisi quod rudibus etiam sensibus facile offertur.

Th. XI. Vita et mores hominum magnam quoque vim in linguam habent, multas enim res novas proferunt, quæ nova etiam postulant verba, deficiente autem re, verbum etiam deficit; multa e. g. verba majores nostri habuerunt, nobis haud amplius cognita, et vice versa, cum vita et mores illorum a nostris valde differant.

Th. XII. Experientia denique hoc quoque docet. Num enim in populo barbaro copiam, subtilitatem, quid multa, cultum linguæ unquam reperimus? Num in populo contra exculto, qui viris acutis, ingeniosis et accurate loquentibus abundavit, linguam inexcultam et barbaram? Nam animi et linguæ cultus pari procedit passu.

DISPUTATIO XXIII.

D. XXIX. MART. MDCCXCIV.

H A B E N D A.

Resp. HEYER I. Opp. NETTMANN. ULLRICH.

Sine bona juventutis educatione nullam
civitatem felicem esse posse.

Th. I. **E**ducare est: docere juventutem, quomodo nostras actiones instituere debeamus; quæ quidem cura est parentum, præceptorum, aut omnium omnino eorum, quibuscum in prima juventute vivimus.

Th. II. Hæc educatio partim quidem præceptis et institutione, præcipue vero exemplo et sapientia in juventute tractanda adhibita, consistit. Hac enim via discimus, quomodo agere debeamus, si felices esse volumus. In quo illud imprimis maximi est momenti, ut liberi non prius, quam cum satis confirmati sunt præceptis et exemplo, ex cura suorum emittantur; tales enim, experientia docuit, plerosque recta via constanter ingredi.

Th. III. Hac ex re clarissimum mihi videtur, bonam educationem, multos homines reddere bonos, quorum alter alterius felicitatem curet.

Th. IV. Felicitas civitatis vero nihil est, nisi felicitas omnium et singulorum civium. Qui si

boni sunt singuli, omnes boni sunt, igitur
iusti, humani, benigni, liberales, et ad juvan-
dos alios parati. Neque vero cum societate ho-
minum universa male actum esse potest, si cives
singulos tales habet.

Th. V. Ejusdem rei vero plures etiam nobis docu-
mento sunt populi, e. g. Germani, et inter hos
praesertim Borussi.

Th. VI. Contra autem illae civitates, ubi bona non
est educatio, felices esse non possunt. Nam,
ut jam contendi, felicitas civitatum civibus
singulis nititur; qui ubi bona educatione non
gaudent, ubi non exempla parentum liberis
monstrant, quomodo felicitas sive privatorum
sive publica adjuvanda sit, ubi non satis be-
ne in scholis instituuntur, neque necessarias
notitias accipiunt, quibus aliquid ad salutem
suorum civium adferant: facile intelligitur, ta-
lem civitatem felicem esse non posse.

Th. VII. Exempla infelicium mala educatione civi-
tatum Francogallia, Hispania, Lusitania, Rus-
sia et aliae mihi esse videntur; beatos autem nos
dicere possumus, qui in ea civitate vivimus,
ubi bona educatione & doctrina eo perfectionis
evehimur, ut etiam hac in re omnibus aliis ci-
vitatibus antecellamus.

DISPUTATIO XXIV.

D. V. APR. MDCCXCIV.

H A B E N D A.

Resp. BÜHRING. Opp. BEKVERS. HERTEL.

Linguae non miraculo traditas, sed paulatim ab hominibus esse inventas.

Th. I. Si loquimur, verbis aut articulatis sonis cogitationes et sensus nostros clare exprimimus et cum aliis communicamus. Quid lingua sit, hinc igitur facile quisque intelliget, tota nempe complexio s. summa signorum intelligibilium, notiones et sensus nostros significantium.

Th. II. Quæque lingua consensione communi populi nititur, certis quibusdam signis, quæ audiri possunt, certas quasdam notiones et ideas conjungentis et significantis.

Th. III. Hæ linguæ utrum a Deo, an ab hominibus originem trahant, sæpe disceptatum est: ego ostendere studebo, originem illarum omnino esse humanam.

Th. IV. A.) Inventio successiva sonorum, qui audiri possunt ad notiones significandas, arbitraria est.

Th. V. Homo jam, cum animal sit, linguam aliquam naturalem habet, et ad illam excolendam facultate loquendi gaudet, studioque urgenti multa significandi et explicandi impellitur.

Th. VI. Cum ergo homines ob organa ipsa linguæ facultatem possiderent varios sonos proferendi,

vita sociali, necessitate, instinctu cogitata cum aliis communicandi coacti, sonos illos sibi intelligibiles reddere studebant.

Th. VII. Primo homines sine dubio res sonantes imitatione auditi soni significare ceperunt.

Th. VIII. Postea aliis sensus moventibus rebus, quæ non sonabant, nomina dare continuabant, quæ in re sine dubio eos vera aut credita similitudo inter sonantes et non sonantes res sæpe duxit.

Th. IX. Hac similitudine ducti etiam res sensibus non objectas nominare conabantur.

Th. X. Erat nunc lingua ad primum quandam perfectionis gradum evecta, hominesque sonos arbitrarios ad res non nominatas significandas eligebant, qui semper tamen occultam similitudinem cum rebus jam appellatis habebant.

Th. XI. Sic sane primæ linguæ gradatim sunt excultæ; tumque facile plures etiam formari poterunt. Ex una lingua aut verba in alteram transferebantur, minus magisve mutata; aut nova verba ad notiones significandas sumebantur. Tali modo etiam linguæ, quæ adhuc existunt, magis magisque excoluntur.

Th. XII. Ex his facile nunc cuique apparebit, etiam si hominibus natura facultas loquendi ad linguam naturalem, quam supra diximus, excollandam ingenita sit, tamen ex eorum arbitrio pependisse, qualia signa ad notiones significandas eligere voluerint, atque ergo linguas ab hominibus originem traxisse.

Th. XIII. B.) Illa inventio arbitrariorum sonorum, qui audiri possunt, ad idearum significationem, ideis auctis simul augetur, et viribus hominis naturalibus non repugnat, sed potius illis omnino est consentanea. Quod sane quisque sine argumentis intelliget.

INDEX
DISPUTATIONUM,

SEMESTRE ÆSTIVUM.

MDCCXCIII.

I. R ö m e r. Heineke. Fahrenheit. (Apr. 13.) Institutionem juventutis publicam privatæ esse antefereendam.

II. Z i e m a n n. Lentz. Frantz. (Apr. 27. 1. 20.) De variis coloniarum generibus, earumque condendarum legibus.

III. Heineke. Köppen. Brockmeyer. (Maj. 1. 1. Apr. 27.) Dialecticam ceteris philosophiæ partibus esse præmittendam.

IV. Fahrenheit. Heyer. I. Bühring. Nettmann. (Maj. 4.) De utilitate exercituum perpetuorum.

V. Lentz. Alstein. Scheele I. Scheele II. (Maj. II.) An litteræ humaniores nos impediunt, quominus etiam in negotiis vitæ communis excellamus?

VI. Frantz. Fischer. Hecht. I. (Jun. 29.) Artes humaniores naturam imitatione fati plena referre non posse.

VII. Köppen. Römer. Ziemann. (Jul. 6.) Terram esse sphericam.

VIII. Brockmeyer. Heineke. Fahrenheit. (Jul. 13.) Juvenilem ætatem imprimis amicitia esse aptam.

IX. Heyer I. Lentz. Frantz. (Jul. 20.) Introducto etiam novo codice legum, jurisperito notitiam latinæ linguæ necessariam futuram.

X. Bühring. Köppen. Brockmeyer. (Jul. 27.) Quomodo fieri potuit, ut Ulysses omnes procos Penelopeiæ, a tribus viris tantum adjutus et nullo numine adjuvante, interfecerit?

XI. Nettmann. Heyer I. Bühring. (Aug. 3.)
Quanta juveni etiam ex instituendis aliis utilitas sit
haurienda.

XII. Alstein. Lentz I. Nettmann. Scheele I.
(Aug. 10.) Num honor sit expetendus?

XIII. Scheele I. Alstein. Scheele II. (Aug. 19.
1. 17.) De præstantia religionis christianæ præ judaica.

XIV. Scheele II. Fischer. Hecht I. (Aug. 24.)
De expeditionibus cruciatis, noxisque per illas Eu-
ropæ illatis.

XV. Fischer. Römer. (Ziemann.) (Aug. 31.) No-
stros majores fuisse doctiores, sed nos esse sapientiores.

XVI. Hecht I. Heineke. Lentz I. Fahrenholz.
(Sept. 7.) Mathesin esse magnæ utilitatis.

XVII. Frantz. Lentz. Köppen. (Sept. 14.) Non
concipi posse absolutam a priori demonstrationem.

XVIII. Köppen. Frantz. Brockmeyer. (Sept.
21.) Clarissimam magnitudinis divinæ cognitionem
ex Astronomia posse hauriri.

E R R A T A.

Disp. I. Th. 5. (in quibusd. exempl.) pro indere-
dit lege inde redit; pro satispopest satis potest.
Th. 6. Jvenes: Juvenies. Disp. IV. Th. 1. uti-
litate: utilitate. Disp. VI. Th. 1. Pi&uram,
Sculpturam. Th. 3. Sculptura, Archite-
&ura. Th. 7. Voluptatem: voluptatem. Disp.
VII. Th. 1. ingnarus: ignarus. Th. 10. Clarissi-
mum: Clarissimum. Disp. VIII. Th. 10. diu-
turnissimas: diuturnissimas. Disp. IX. Th. 2.
introdu&to etiam. Disp. X. Th. II. omnia:
omina. Disp. XI. Th. 3. negligimus: negligi-
mus. Disp. XII. Th. 5. rectissima: rectissima.
Disp. XIII. Th. 2. nuncupatur Dei, nec. Disp.
XIV. Th. 3. Secundo: secundo. Th. 8. patriami:
patriam. Disp. XVI. Th. 6. comparet, no-
tiones. Disp. XVIII. Th. 6. (lia) delendum.

SEMESTRE HIBERNUM.

MDCXCIII-XCIV.

I. Römer. Heyer I. Bühring. (Oct. 12.) Amore nostri ipsorum omnem nostram niti felicitatem.

II. Ziemann. Braunschweig. Fischer I. Hoppe. (Oct. 19.) Sine religione nullam civitatem consistere.

III. Heineke. (Nettmann.) Alstein. (Oct. 26.) Unumquemque loco ordineque suo aliis prodesse et posse et debere.

IV. Fahrenholz. Ullrich. Bekuhr. (Nov. 2.) Servitus ecclesiastica omnium est perniciosissima.

V. Lentz I. Dörge. Hertel. (Nov. 9.) Quomodo libertas felices reddere nos potest?

VI. Brockmeyer. Scheele I. Scheele II. (Nov. 16.) An victoriis reportatis Deo recte gratias agamus?

VII. Heyer I. Lentz I. I. Fischer. Hecht. (Nov. 23.) Utrum anni scholastici an academici præferendi sint.

VIII. Bühring. Römer. Ziemann. (Nov. 30.) Qui perfectus, quantum fieri potest, Theologus esse vult, hebrææ et græcæ linguæ peritus sit necesse est.

IX. Braunschweig. Heineke. Fahrenholz. (Dec. 7.) Philosophiam Poësi esse præferendam.

X. Hoppe. Lentz I. Brockmeyer. (Dec. 14.) Quatenus dici possit, poenas improborum æternas futuras.

XI. Nettmann. Heyer I. Bühring. (Dec. 21.) Diligentiam etiam esse posse nimiam.

XII. Alstein. Braunschweig. Hoppe. (Jan. 11.) Studium conditionis perficiendæ summum homini esse agendi principium.

XIII. Ullrich. (Nettmann.) Alstein. Römer extr. ord. (Jan. 25. I. 18.) Lectionem librorum hominibus omnium ordinum esse utilem.

XIV. Bekuhr. Ullrich. Dörge. (Jan. 18. I. 25.) Civitas, ubi libertas et æqualitas Gallica locum habent, pereat necesse est.

XV. Dörge. Bekuhr. Hertel. (Febr. 1.) Quam actio generosa dici mereatur?

XVI. Hertel. Dörge I. Scheele I. Scheele II. (Febr. 8.) Magnæ fore utilitatis, si leges in scholis exponerentur.

XVII. Scheele I. Hecht I. Römer. (Febr. 15.) De præstantia nostræ hodiernæ doctrinæ morum præ ethica antiquorum philosophorum.

XVIII. Scheele II. Ziemann. Heineke. (Febr. 22.) Vitam rusticam urbanæ, magnis præcipue in urbibus, esse anteferendam.

XIX. Hecht I. Fahrenholz. Lentz I. (Mart. 3. 1. 1.) Rectam cognitionem veri inter populum etiam esse divulgandam.

XX. Römer. Brockmeyer. Heyer I. (Mart. 8.) Instinctum, quem vocant, cum libertate pugnare, ideoque hominibus non potuisse tribui.

XXI. Ziemann. Bühring. Braunschweig. (Mart. 15.) Non auctoritatem hominum, sed vim argumentorum in religione esse sequendam.

XXII. Lentz I. Hoppe. Alstein. (Mart. 22.) Linguam cum ingenio, moribus et cultu populi pari passu incedere.

XXIII. Heyer I. Nettmann. Ullrich. (Mart. 29.) Sine bona educatione juventutis nullam civitatem felicem esse posse.

XXIV. Bühring. Bekuhr. Hertel. (Apr. 5.) Linguas non miraculo traditas, sed paulatim ab hominibus esse inventas.

E R R A T A.

Disp. III. Th. 4. pro-dest: prod-est. publicus, aut. 8. fit: fit. IV. II. et vim: ut vim. VIII. 2. theologi, præcepta. ordinare, diligentius. IX. II. ex cutiet: ex-cutiet. X. 4. diminutionis, sempiternas. XI. 7. adhibita: adhibita. XV. 7. Inprima: In prima. XVII. 5. habebatur: habebantur. XVIII. post Th. VI. lege Th. VII.

Yh 2476


W18

ULB Halle

3

007 543 492







Farbkarte #13

B.I.G.

DISPUTATIONES

IN

CLASSE PRIMA

STEPHANEI

AB APRILI MDCCXCIII AD APRIL. MDCCXCIV

HABITÆ.

COLLECTIO SECUNDA.

HALBERSTADII
TYPIS DÖLLIANIS, MDCCXCIII.

Fa
Legu
uven
Le
fit,
t?
Fr
rider
m cl
Kö
ftuc
Fif
(6.)
onis
Le
(3.)
dur
Fif
lpu
rfice
Mä
, fi
pr
He
exa